Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Henning Conradinus

Henningi Cunradini Hamburgensis P. L. Caes. Poemata : Anteà nunquam in lucem edita

Rostochii: Reusner, 1607

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729951197/phys_0001
DFG

XII. X 10.

12, a – 6.

Cg – 1598 1.2

~~C. II. f. 3106~~ 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0002
DFG

I. W. R.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0004
DFG

HENNINGI CUNRADINI HAMBURGENSIS P. L. Cæs.

POEMATA

Anteà nunquàm in lucem edita.

Horat. art. Poët.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterq; monendo.

ROSTOCHII,
Litteris Reusnerianis,
Anno 1607.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0007
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0008
DFG

Magnifico, Amplißimo, Clarißimo, & prudentißimo viro,

Dn. EBERHARDO TWESTRENGIO J. U. L. & inclytæ Hamburg reip. Conſuli æquiſsimo, Dno. Patrono ſuo omni obſervantiæ ſtudio colendo.

S.

Quod ante annos mille ſexcentos quadraginta tres, Pelignus ille vates querimoniâ proſecutus eſt, Magnifice, & Ampliſsime vir, Dn. Patrone omni obſervantiæ ſtudio colende, id hoc ſeculo jugibus meritò lamentis exclamamus:

Heu mihi, non multum carmen honoris habet!
Nunc hederæ ſine honore jacent, operataq; doctis
Cura vigil Muſis nomen inertis habet.

Immò juſtiùs id nunc iterandum tantò, quantò vilius haberi nobilem auguſtæ poëſeos ſcientiam videmus.

Neq; enim despectus tantùm ignominiâ deformatur; sed & violentis passim apud Æsopicos exiliis fatigatur. Quandoquidem namq; cœperunt

omnia fatis
In pejus ruere, & retrò sublapsa referri: &
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem:

majori quàm anteà numero & malitiâ quotidiè prosiliunt qui venerabilis dignitatis luculentam disciplinam quavis impostura de suo throno deturbatam pessundare insudant: adeoquè teneris ingeniis non cessant impendiò inculcare, quidquid omninò in ejus exitium aut corradi aut effingi potest. Cumq; adeò lucri suavitas & rutilantis auri fulgor nulli mortalium non adrideat: hoc inter alia primas tenere solet, quòd ex poëticâ, sterili & mendaci, ut volũt, studio, tale quid incassùm speretur. Quidam etiam malè fascinati, Platonis autoritatem pro exterminandâ hac Philosophiæ

parte

parte allegant; perperàm sibi ejus, utpote qui nihil minùs quàm poëticam odio habuit, patrocinium adfingentes. ut transeam centum alias jejunas rationes, quibus unà misopoëtæ vacillanter incumbunt; at plurimas vegetorum ingeniorum adfectiones à pulchro conamine indecorè avertūt. Longè statuunt aliter qui sanctæ Sophiæ fonte probè imbuti, sanioris judicii lance singula pensitant. Illi certè non dubitant, eximiæ scientiæ sua impartiri encomia, quibus ut sibi jure debitis, excelsa illa, licet spreta, triumphos agit. Advertunt nimirùm illi, quid veritatis pedamento nitatur, fastiditis nugamentis ab inertis vulgi insaniâ perditè consartis. Quid enim vulgus, belua multorum capitum, non effutit? qui non contentus quin divinum Platonem etiam inquietet, ipsiusq; manibus adfingat, quod viventis animum ne attentavit quidem, cùm adeò non detestatus ille sit poëtas, ut & Deorum filios eos nuncupa-

re non erubuerit. *libr. 2. de republ.* Quippè licèt noxia quædam de Deorum lascivis amoribus adstructa figmenta censuerit abolenda, ipsam tamen artem summè est veneratus. Nec momenti est quod lucri perditione juvenes deterreant: cùm ingenuus ac generosus animus non tàm pretii & gemmarum quàm gloriæ & virtutis splendore semper ducatur; & magis honestum quàm quæstum, magis laurum quam aurum sitire consueverit. Immò adeò, si artes omnes quæ minùs ære scaturiunt, essent internecioni tradendæ; periret utiq; simul cœlestis etiam Astronomia, muteret festiva Musica, occideret magna Geometriæ portio, sublimis quoq; Anthropologiæ bona pars torperet, ut alias innumeras doctrinas omittam, quæ tristi cum generis humani detrimento in ventos abirent. Claudicant igitur hominum rudium nihil præter sordes meditantium argumenta, quibus regiæ poësi suum furari diadema labo-

laborant. Quin hoc nemo, hercles, nisi qui ne tria Stesichori quidèm novit, inficiabitur, poëticum studium, suâ ambulare majestate, suâ excellenti utilitate, suâ incredibili jucunditate. Præterquàm enim quod vetustatis abdita recludat, orationis venustatem confert, verborum & rerum adfluentem suppeditat ubertatem, obscuritates scriptorum reddit lucidas, ex salebrosis planos efficit, historias aperit, intellectum acuit, judicium roborat, memoriam firmat, linguam expedit, animum reddit capacem & ad cuncta perdiscenda habilem. Addendum quod & homini ad nodosa jurium volumina accedenti plurimū frugis adferat; dum illius usu rationalis animæ pars princeps quam τὸ λογιστικὸν appellant, cujus tamen vi præcipuè debet Iurisconsultus valere, miris modis stabilitur, &, ceu novacula cote, acuitur. id quod tùm aureas & argenteas venas pleno facit alveo fluere; tum in communi vitâ omni

lucro, si id tantoperè adfectemus, precioſius eſt.

Hæc omnia Tua M.ª Vir Magnifice, exactâ cenſurâ ſemper rimata eſt, eoq; animum induxit, ut poëtarum, quotquot optimi laudantur, lucubrationes vigili ſolertiâ & induſtriâ curâ pervolveret: undè hunc eſt conſecuta fructum, quod boni poëtæ (qui eſſe non poteſt, niſi antè vir bonus ſit, ut ait *Franc. Patrit. libr. 1. de regn. & reg. inſtitut.*) nomen jamdudùm ſit promerita, ſuffragante toto elegantioris literaturæ choro.

Ego quidèm, quouſq; Tuæ M.æ benevolo patrocinio ſum uſus, purioris carminis amorem ambivi, id quod Tuæ M.æ. in me non diſplicere cum intellexerim, avidiùs hoc ſtudium, fretus Tuæ M.æ. ſapienti arbitratu, ſemper ſum amplexus. Cumq; Tua M.ª ante aliquot annos carmina quædam doctiſsimi viri M. HENNINGI CUNRADINI P. L. Tuæ M.æ ab eodem inſcripta ex opulentâ bibliothe-

câ

câ suâ depromsisset, factâ mihi benevolè copiâ penitiùs introspiciendi, ac in mundiori exemplo exhibendi: ego pol ea tunc quidèm admiratus sum, sæpiùs interim & exosculatus, nihil ulteriùs peroptans quàm ut primo quolibet die tam bella & scita compositio cochleæ typographicæ submitteretur: tùm, ne politissimi poëtæ formosum ingenium, suo privaretur nitore: deindè, ne inclyta Saxonia nostra, & in eâ celeberrima vestra respubl. quæ talem educavit, suo defraudaretur ornamento; & deniq; ut adolescentum poëseos elemẽta versantiũ adsiduitas egregio quopiam adminiculo sublevaretur.

Proindè postquàm dormiens hucusq; negotium, publicis curis Tuam M.m alio divorsè trahentibus, nuper Tuæ Mæ. submisse renovare, utque conservata hactenus luce donaret, rogare sum ausus, eamq; facilem illicò & propensam deprehendi, vehementer mihi gavisus; Musarum au-

tem cohorti gratulatus sum. idq; hoc magis quod Tua Ma. prout ejusdem splendidæ fortunæ & præclaræ liberalitati conveniebat, munificam inprimis & benignam ad hoc se præbuerit, adeò ut sese poëta noster haud amplius patriæ, sed Tuæ Me. soli se debere videatur, cùm illa vitam ipsi quidèm caducam sit largita: At ex Tuæ Me. insigni favore denuò revivisit, & immortalem se factum jam fatetur.

Macte, Magnifice Vir, laudabili ope quâ Tua M.a provinciam literariam, atq; in eâ glorioſum amabilis poëticæ ſtudium fortiter ac feliciter fulcit! neq; pœniteat huic benè feciſſe, quem ipſe Favor ut adamet par eſt. Haudquaquàm enim, (ne quis erret) ex eorum eſt ille ſerie, qui, quod ajunt, oleum non viderunt: ſed (abſit Nemeſis, res ipſa loquitur) ejuſcemodi, quem nõ vereamur in eodem cum eruditiſsimis quibuſq; noſtri ſeculi vatibus catalogo cõmemorare. Nam

ſi

si verba in scriptis ejus contemplemur, totus est nitidus; si numeros, fluidus; si orationem, florulentus; si rem, jucundus; si animum, incorruptus; si mentem, acutus; si sententias, nervosus; si universum, candidus; & de quo dignè illud enuncietur: τῆς ποιήσεως ὀφθαλμὸς.

Vivunt sub hoc ævo poëtæ quidem sine nomine & numero, sed quorum multos verè aut simias aut vultures poëtarum quis indigitet: cùm inanibus tantùm apicis luxuriantes, ne speciem poëtæ adumbrent quidèm, ne dum nomen mereantur. Existimant scilicet, poëtæ virtutes in hoc constare, ut plurimos uno vel spiritu vel temporis ductu versus effundat: nec animo reputant infelices, fœtum immaturum non esse partum sed abortum. Interim mirum quàm sibi blandiantur suis copiis, illinentes papyro de quovis & ad quemvis carminum suorum miserabiles strepitus, quæ nihil sunt aliud quàm verborum incom-

incompoſita ſtrues, ſine omni lepôre & mundo inconſultò proſtituta. Cumq; nec boni metri concinnis legibus diſpoſita, nec aptorum epithetorum floſculis decorata ſint; neq; legentem ſuaviter adficiunt, nec autorem ſperatis encomiis evehunt. Ex hac malorum cum bonis in officinis typographicis confuſâ conjunctione infauſta tandem illa progenies editur, contemtus videlicet artis.

Quocircà, Magnifice vir, quantas apud doctos philomuſos omnes Tua M.ª gratias iniverit, dum culti hujus vatis monumenta communia fieri patitur, vel non cogitanti ſubrepet.

Ut autem benevolo lectori de hac editione pleniùs conſtet, hoc præſciri volo, nec omnia nec quælibet hìc ſine delectu prælo eſſe commiſſa. Supereſt enim non mediocris carminũ multitudo; commodiori tempori reſervata, tum quia majuſculà prolixitate ambiguos ſumtus in nimium auxiſ-

xiſſent: tum quia iſtorum nonnulla, quæ nempè vel adoleſcens adhuc poeta, vel curis inamœnis diſtrictus non pari dexteritate perfecit, accuratiori indagine, & limâ levigatoriâ opus habere videbantur. Quod ſi hanc opellam eruditorum lectio & uſus calculo ſuo probaverit, brevi eveniet, ut integrum opus rectè maturetur. Hac vice dulciſsimi hujus metri favos deguſtandos modò præbuiſſe ſufficiat; qui ut ſumerentur defecati & ſine inquinamento, quantum ſiverunt manuſcripti periculoſæ lituræ, pro virili operam dedi.

Nunc, Magnifice & Ampliſsime Vir, Dn. Patrone ſemper honorande, Tuæ M^a. hunc libellum officiosè & reverenter dedico & offero. Sic enim decet, ut CUNRADINO, cui tua M.^a vitam reſtaurare dignata eſt, etiam ſit Mecœnas, cujus ſub egregiæ dignitatis clypeo à lividorum venenatis ſpiculis ſecurus eſſe queat. Prætereo cauſam alteram, quâ Tuæ M^a. celebre

bre nomen & eximiam famam ego jugiter decantare, ac gratitudinem quacunq; via declarare obligatus sum, non quidem ex beneficiis triobularibus, qualiavè solet amicus amico, aut patronus clienti. talia namq; ad Tuæ M^æ. benefacta, quibus me exornavit, ceu tenuia collabascunt. Tantus autem est eorum cumulus, tantaq; magnitudo, ut jam impar sim sorti, nec solvendi spē fortuna mihi reliquerit.

Accipe igitur serenis oculis, Magnifice vir, illud quod tuum est & à tuo decenter exhibetur; & clarescat, patere, Cunradinus, Tuæ M^æ. clarissimi nominis lumine, quò suo ille gaudeat merito, at Tua M^a. suum Poëtam perpetuò agnoscat. Vale benè ac feliciter, Magnifice Vir, Patrone singularis, doctrinarum & rei literariæ columen. Rostochii prid. Id. Maji Anno 1607.

Tuæ Magnif.æ

Observantiss.

Theodorus Glazerus Dithmarsus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0021
DFG

Clarissimo viro, eruditione & virtutute praestanti,

Dn. BURCARDO MITHOBIO Doctori artis Medicæ, charissimo fratri suo.

S. D. P.

CLarissime vir, & charissime frater. Etsi edita sunt exempla responsionis meæ, de Bavaricâ inquisitione, tamen nunc reliqua hìc venalia nulla erant. Sed post paucos dies rursus edentur, maximè verò cupio, eam lucubrationem, à te, tanquàm censore legi. Quarè curabo ut habeas: teq; oro, ut cùm acceperis, judicium mihi tuum significes. Utilia ad pios confirmandos scribere volui, non struere Labyrinthos:

sed tuum judicium flagito. Nunc tibi Conradinum commendo, quem audio cognatum tuum esse. Cumq; & mens ejus bona, & vena in scribendo felix, & natura doctrinarū capax, libentius eum complectaris. Academiæ studia narrare ipse poterit. De Repub. scio tibi res Germanicas notas esse. Turcici tyranni filios inter se dimicasse hac æstate, certum est. Et fertur trucidata esse in Bithyniâ quadraginta millia Turcarum. Ideò nunc in Pannoniâ sunt inducię. Benè vale. Die æquinoctii Autumnalis. 1559.

Philippus Melanthon.

Editionem istam, clarissime vir, quam petiisti Aldinam, tibi transmitto. De rebus Patavinis, præter ea de quibus proximè ad te scripsi, nihil ad

huc

hùc certi habemus. Vemet ad vos Henningus Cunradinus, homo cum primis eruditus, quem magnoperè tibi commendo. Carmen scribit elegans, quod quidèm ob perspicuitatem, rerum varietatem, sententiarum gravitatem cum imitatione Vergilii eruditissimâ comparari potest. Cùm hæc scriberem, iter Vitebergam versus adornabam, quarè brevius ad te scribo. Cùm favente DEO reversus fuero, referam fortaßè plura de variis rebus quæ Patavii geruntur. Interim te DEO Opt. Max. commendo, qui te diutißimè incolumem mihi conservet. Vale. Datæ Lipsiæ. 6. Non. Iulii. Anno 1560.

Caſparus Peucerus.

De

Editione Carminum

M. HENNINGI CUNRADINI HAMB. Pöetæ Laureati.

ENTHEA dum Henningi ingenij monumenta revolvo
Conradine tui, meliori ætate parentum
Quæ tua Musa tibi tam docta & promta profudit,
Laudo prius sæclum, & nostri hujus pœnitet ævi,
Quod fera barbaries jam parte oppugnat ab omni:
Quod passim vates Phœbæa fronde coronat
Qui rude communi carmen triviale monetâ
Vix feriunt, melior quos patrum sperneret ætas.
Debetur laus magna tibi clarissime Consul,
O patriæ spes Tvvestrengi & bene fida columna,
Eruta qui è tenebris magni hæc monumenta pöetæ
Iam curas revocari ad lucida tela diei,
Atq; mori hæc prohibes longâ dignissima vitâ.
Tuq; adeò quæ alij jam præstas optime, quondàm
Retribuet meritò tibi postera gratior ætas.
Cujus fama & laus, & honor virtute paratus

Et

Et merita in patriam nullo morientur in ævo,
Albidos ad ripas dum celsâ Ammonis in arce
Erecto surgunt ad cœlum vertice turres.

Eilhardus Lubinus.
S. Th. D. & Profess.

Viro magnifico Dn.

EBERHARDO ZWEISTRENGO: I. V. L. CLARISS. DOCTISS. CONsultiss. urbis Hamburgi Consuli amplis.

Dn. & amico suo:

IOANNES ASSVERVS AMPSINGVS TRANSISVLANVS, Phi. & Med. D. & in Academiâ atq; urbe Rostochiana Professor & Physicus ordinarius gratulatur.

UT tremit indomitis jactata carina procellis,
Dum quatit infidas Ennosigæus aquas:

Sic jactata crebris Respublica sancta periclis
Sithonio trepidat concutiente Deo.
Ut duplici contenta rudens è fune carinam
Sustinet in medijs atq; tuetur aquis:
Sic urbem sapiens Consul prudensq; Senator
Suffulcit, medijs ne cadat illa malis.
Fallor! an hinc nomen Zuveistrengo contigit, ut sit
Urbi Hamburgensi ceu duplicata rudens?
Hamburgum est navis: duplicato fune camelus
Zuveistrengus: Deus est anchora fixa vado.
Vidi ego jactatâ disruptam nave rudentem,
Neptuno nullas injiciente moras.
Tuq; etiam duplicate rudens, me vate, peribis:
Ni fuerit curas qui levet arte tuas.
Hoc benè perpendens noster meditansq; Poëta
Instituit numeris te recreare suis.
Demulcere feras potuit Rhodopëius Orpheus,
Et cantu rapidi sistere fontis aquas.
Imò etiam & cautes & opacas ducere sylvas,
Threicia pangens dulcia plectra lyræ.
Tu patiare etiam Zuveistrenge amplissime Consul
Molliri curas carmine sæpè tibi.
Ne vel curarum vel tempestate laborum
Fracta rudens, fias cura laborq; tuis.
Quod superest illi qui nutu cuncta gubernat,
Has ego de toto pectore fundo preces:
Ut servet navem omniveham navisq; rudentem,
Sitq; ipsi in cunctis anchora sacra malis.

IN

In operis commendationem,

Ad Magnificum, Ampliſs. Clariſs. & Conſultiſs. virum, Dn.

EBERHARDVM TWESTRENGIUM, I. V. L. Conſulem inclytæ Reipub. Hamburgenſium.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

CArmina qui quondam Phœbeâ condidit arte,
Cunradinus, in Hammoniâ tunc impiger urbe
Diſcentes humana docens divinaq́ dextrè,
E cujus ludo (velut alveô Hyblæa volucris)
Turmatim exibant doctrinæ melle repletæ
Et pueri & Iuvenes, devoti Palladi doctæ,
En redivivus adeſt, victuro carmine, doctum
Neſcit enim in tacito ſepeliri pulvere carmen.
Quàm ſtat amicorum variorũ hèic mira ſupellex!
Quàm doctè, quàm perſpicuè, quàm dulciter unum
Tam varijs rebus confectum corpus & arte!
Quàm nihil invidiæ, quàm laus hinc vivida multis,
Quàm nihil hic damni, quam commoda multa legenti!
Vive valeq́ diu, clariſsime & optime Conſul
Tvveſtrengi, *auſpicio cujus curâq́ paternâ*
Vates **Cunradinus** *adeſt redivivus in orbe.*

Vive valequè diu, patriæq; tibiq; superstes,
Consul, Mecœnas rarus carusq; Poëtis:
Namq;, ut tempora sunt, fatuis quàm vatib. aurum
Nunc potius conferre solent pro carmine multi.

IOHANNES POSSELIUS. I. F.
Græcæ linguæ in Academia Rostochiensi Professor, & Scholæ Senatoriæ ibidem Rector, F.

Ad amplissimum virum

DN EBERHARDVM TWESTRENGIUM JC. Reipub. Hamburgensis Consulem.

TVVestrengi *ô patriæ primaria gloria terræ,*
Idemq; Aonii fida columna chori:
Quòd Cunradini *dias in luminis oras*
Ex tenebris vindex carmina docta trahis;
Hoc ipso insigni obstringis tibi munere Musas,
Et quotquot Phœbo gens operata sumus.
Macte istoc studio, Tvvestrengi, *inopesq; Camœnas*
In patrocinium suscipe porrò tuum.
Sic erit, ut nostri, (quæ laus rarissima) secli
Te Mecœnatem postuma fama canat:

Atq;

Atq; ubi dira manus tibi Parca injecerit
Parca in magnates non satis æqua viros,
Non totus moriere tamen: post funera vives
Laude super terris, spiritu apud superos.

Johannes Kirchmannus
Poëseos Professor in Acad.
Rostochiensi.

In editionem Poëmatum
HENNINGI CUNRADINI HAMBURGENSIS POETÆ LAUREATI.
P. M.

Floruit Hamburgæ quondàm, docilemque juventam
Erudijt Cunradinus, *bonus ille Poëta,*
Qui præclara Deo condidit astrico,
Virisque doctis, carmina.
Defloravit eum scilicis acumine curvæ
Omnia nata potens Mors contumulare sepulchro.
Ergo clausus humo nunc aliquamdiu
Brumæ rigorem pertulit.

Ecce sed! exstinctum quem funere fortè putasti,
Vi superatâ hyemis, cum vere resloruit ipso:
Enatisq; iterum carminibus ciet
Suavissimam fragrantiam.
Qualiter excultum variabilis herba per hortum,
Heu, radicetenùs resecatur acumine cultri,
Amissisq; suis viribus omnibus,
Exstincta planè creditur
Tempore brumali; nec odorem naribus ullum
Exhibet, aut oculis consueto flore colorem.
Sed vernis iterùm viva teporibus,
Tellure radix exserit
Germen honoratum, per & internodia certa
Explicat excelso quàm plurima brachia thyrso,
Ornata eximijs brachia floseulis,
Fragrantiâq; dulcibus.
Taliter evicit brumalia frigora Mortis:
E tumuloquè caput redivivum surrigit, ecce,
Cunradinus, & in carmine posthumo
Floret fragratquè perpetim.
Debemur Morti nos nostraq;. Mortis at expers
Est vates bonus, aternumque in carmine vivit.
Vitâ namq; viros dum beat optimos,
Suam propagat maximè.

8. Apr. An. M. DC. VII.

Petrus Bambamius.

AD

AD

Magnificum, Ampliſs. Clariſs. & Conſultiſs. virum

DN. EBERHARDVM TWESTRENGIUM. I. V. L. CONSULEM INCLYTÆ REIPUB. HAMburg.

Epigramma.

PETRI BAMB.

VIrtutemq; artesq; tuas, tuus ille Poëta
Extulit egregiis vivus ad aſtra metris.
Mutua Conſul ei clariſsime munera confers,
Ejus & è tumulo tollis honore caput:
Sumtibus eximiis dum poſthuma carmina curas
Chalcographis dignè perpetuanda typis.
Laudibus æternis manes ſuper aſtra Poëtæ
Extollent meriti munera tanta tui.
Quisquis & in terris aliquas in carmine vires
Sentiet, obſtrictum ſe tibi laude volet.

Quòd

Quòd paulùm distet Virtus celata sepulta
Inertiæ: Quòd abditi
Visceribus terræ nullus quoq; splendor & auri,
Glazere flos Themidos virens;
Præclarè noviſſe Virum, res ipſa fatetur,
Cultiſſimum Tweſtrengium.
Hic dat enim ut rursũ redivivâ luce coruſcet,
Virtute, Venâ, & Ingenio
Ille Poëtarum fax Cunradinus amica,
Pollens, ſuâvis, optimus.
O rarũ exemplum! Quod ſuppreſſiſſe voluptas
Mera eſt quibuſdam Maſtygiis,
Hoc priſco Vatis benè reſtituiſſe nitori
Tweſtrengium inclytum juvat!
O mens ex puro ſcitè effigiata metallo,
Condigna laudum encomiis!
Tweſtrengi excellens multum tibi Carmina debent;
Multum Poëticus chorus.
Tu quoq; non minimam Glazere merebere laudem,
Studiis tuis hæc adjuvans.

Plau-

Plaudite Phœbicolæ; vestrum haud decus omne perivit
Superstes ùt servant Boni!

M. Paulus Rutingius P. L.
Rhodopoli, Calend.
April. f. An. 1607.

Quis tibi Cunradine *canet præconia laudum*
Debita, qui regnas laudibus ipse tuis?
Restat in ambiguo, major num magnus Homerus,
Major an Aemonius Dardaniusvè pater.
His non major erat pacis pietate, nec armis;
Carmine majorem non habet ille suo:
Attamen Heroës post sera ut funera vivant,
Illud erit semper laudis, Homere, tuæ.
Quātùm ergò Aeacides attingit nubila factis:
Mœonius tantùm carmine major erit.
Atq; alii quantùm vivunt pietate, Poëtæ,
Carmine tu vives & pietate simul.
Sic quoq; per Latias Aenëia carmina gentes
Qui sonuit, superest versibus ipse suis.

Augu-

Augusti *hic superest divino munere vivus,*
Munere Tweſtrengl *tuq, superſtes eris.*
Vive igitur, largo Tvveſtrengl *munere vive,*
Vive tuo ingenio, carmine vive tuo.
Hoc opus ingenii, hoc virtus, ignobile cælo
Hoc labor è tenebris exeruiſſe caput.
Sic quantùm pietas coluit tua ſancta priores:
Ipſe nepos tantùm te pietate colet.
Tu quoque quem vates celebravit carmine vivus,
Tvveſtrengi, *vives hac pietate tuâ.*
Quanta ſed Auguſto *debet* Maro *vivus, ob ipſum hoc*
Debebit noſter tanta poëta tibi.

M. Sigefridus Neumeiſter Variſcus.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0037
DFG

HENNINGI CUNRADINI,

Poetae Laureati.

Elegiarum

Ad

Magnificum, Ampliſs. Clariſs. & prudentiſſimum virum,

DN. EBERHARDVM TWESTRENGIUM,

I. U. L.

Et inclytæ Hamb. reip. Conſulem æquiſs.

Liber I.

In natalem pueri Ieſu,

Ad

DN. EBERHARDUM Twestrengium, L.

Elegia I.

Iam nox aſtra vocans nitidis ardoribus inſtat,
Aſtra ſub auroram prævia luce micant.

Pectora qui veteris solvens obnoxia culpæ
Filius, è casta virgine natus adest.
Ante diem Deus est, lux, splendor, imago Parentis,
Betlemiâ natus nunc sed in urbe puer.
Quid nunc in cunis dulcissime quæris Iesu?
Quid tua tincta rosis suaviter ora moves?
Ire tuas Puer ô cupidissime poscis in ulnas,
Quotquot adhærentes cernis in orbe tibi.
Orbe vides natos, matresq; patresq; morari,
Agnatum qui te virgine nate vocant.
Cùm fuit Augusto primum sub Cæsare tellus
Primigenæ datus est cultus & ara Deo.
Maxima pars, tenebris se diffundentibus, orbis
Languit: at nôrat pars ea certa Deum.
Cælica signa patent: Superæ micat aliger arcis,
Et pecudum custos nuncia læta canit.
O rerum miranda salus: hominumq; redemptor:
Sortem hanc, te præter, nullus obire potest.
Exhibet in stabulo te fascia pulchra ligatum,
Ah preciosa fove fascia molle latus!
Penniger ecce chorus cui fulgidus assonat æther,
Hi laudum titulos concinuêre Dei.
Gloria prima Deo: pax firma hominesq; Deumq;
Inter: sint animis gaudia sancta piis!
Hæc vox clara poli: sunt hæc oracula Christi;
Ergo datam sequimur, Christe benigne, fidem.
Sint humilesq; preces, & quæ patientia victrix,
Hæc nota jàm geritur corde micante crucis.

Pectoris

Pectoris hanc nostri placitam tibi ponimus aram:
Ignoto non est ara locanda Deo.
Ergò Eberharde simul nos accedamus ad aram:
Hæc amor & Pietas munera ferre jubent.
Tu Deus, ô infans tu nate, salutifer orbi
Missus, adorantum suscipe Christe preces.
In te fixa manens propriæ fiducia gentis,
Æthereum spondet, luce nitente, polum.
Dux Erebi jacet: at tibi terra polusq; ministrant,
In gremio spectas virginis alta puer.
Nate Dei atq; hominis, persona sed una, redemptor,
Tolle necem, & meriti da rata signa tui.
Tu mihi justiciam da, pacem, & gaudia mentis:
Denegat hîc Puero cœlica cura nihil:

In obitum

PETRI LOTICHII, Secundi Poëtæ clarissimi.

Ad

D. HENRICUM MOLLERum, S. Theolog. Doct.

Elegia II.

HIc mihi nunc justis impendere pauca querelis
Detur, & in lachrymas tristius ire novas.

Gloria Lotichius Germanidos occidit oræ,
Additur & nobis hac quoq; parte dolor.
Ite pij vates, lacrymabile dicite carmen,
Quale Tibullæo Naſo poëta rogo.
Tu quoq; vatis amans, charis, Mollere, parentans
Manibus, Argolico carmine triſtis ades.
Qui fuit Albiaca Petrus tibi cognitus orâ,
Et tuleras Latio tu ſimul orbe pedem.
Qui veluti mœrens ad fratris buſta venires,
Non intermiſſis fletibus ora rigas.
Sponte venit lacrymans, ſolvitq; Elegeia crines,
Et queritur vatis tempora parca ſui.
Sentiet hos gemitus, has audiet umbra querelas,
Gratag; ad Elyſios fama feretur agros.
Vix bene finieram ſacrata Melanthonis umbræ
Carmina, turbatæ flebile mentis opus.
Cùm piæ Mænalias augeret fletibus undas,
Ingrediens paſsis Leucoris arva comis.
Eccè novi veniens mihi nuncia fama doloris,
Invida Lotichium fata tuliſſe refert.
Non aliter dolui, quàm chari morte parentis,
Et lachrymis tinctæ permaduêre genæ.
Fata quid orbatis incuſem triſtia Muſis?
Strangulat incluſus verba ſubindè dolor.
Hæc tamen accipias mixto ſuſpiria queſtu,
Quæ ferimus cineri, culte Secunde, tuo.
Ut meritas verò poſſem tibi ferre querelas,
Et fletu lachrymas ipſe ciere meo:

Hunc

Hunc animo cuperem genium succedere nostro,
Qui datus est fausto syderis igne tibi.
Tàm molli querulos referebas carmine luctus,
Mens si fortè aliquo vulnere læsa fuit.
Pectora tu solido mulcere rigentia ferro,
Sistere tu fluvios, saxa movere queas.
Audierit Tigris fœtu spoliata querentem,
Mota sono Tigris lenè querentis erit.
Mite tuum pectus facilis natura regebat,
Quæ placidis aptum motibus esse dedit.
Anxia seu primo deploras fata juventæ,
Saxonici, miles pulsus in arma, Ducis.
Sivè gemis patriæ clades, obitusq; tuorum,
Immites faceres illachrymare feras.
Mens tamen hæc etiam lætis erat apta canendis.
Carmine sæpè tuo cura fugata fuit.
Blanda pharetrati cùm regna secutus amoris,
Delicias tenero fassus es ore tuas.
Nec tibi cum molli certet Nasone Tibullus,
Tu simul & laudes hujus & hujus habes.
Altius insurgens Heroum gesta canebas,
Dum jaculatricis tendis ad antra Deæ
Hic sua Viburnus cum Sarnide lustra frequentat,
Qui patriam fractis deflet arundinibus.
Hic quoq; consumti memorabas Daphnidis ignes.
Hic Lycidæ questus, & miserandus amor.
Audiit Eridanus gemitum, lachrymasq; gementis.
Heliadum lachrymas elicuisse ferunt.

At tibi sub liquidis cùm cœrulus accinit undis,
Sæpè tuo solitus carmine stare Nicer.
Magnanimi laudes jam cœlo principis æquas,
Et tollunt vitreis Najades ora vadis.
Non minus hinc debent venator & antra Secundo,
Quàm suus Andino pastor & arva seni.
Hinc tua te meritis & laudibus Itala tellus
Extulit, hinc Gallo tu quoq; cultus eras.
Hospitus admirans bibulis te Sequana ripis,
Fertur inauditos obstupuisse modos.
Et qui prætereins veteres Antenoris arces,
Euganeis tacito vallibus amne fluit:
Limpida Medoacus tibi sistere flumina suevit,
Vatibus Ausoniis sicubi mixtus eras.
Salve clara viris, & vatum prodiga mater
Francia, Lotichio vate superba tuo.
Cujus prima novis fudisti germina cunis,
Puniceas violas, purpureasq; rosas.
Vestra sed extincto nunc spargite munera vati,
Quæ colitis fontes, prataq; culta Deæ.
Ad tumulum flores spirent, & utrinq; petantur,
Molle solum membris, manibus alma quies.
Hic puer irriguas cantavit ad Acidis undas,
Gramineiq; dedit cespitis herba torum.
Par fuit, aut vicit Latios hic carmine vates,
Gaudet & ingeniis Teutonis ora suis.
Nec gelidas tantùm valles, lucosq; silentes
Nôrat, Apollinei solaq; sacra chori.

Sed

Sed tulit eloquij cultis quoq; præmia campis,
Verbaq; labentis fluminis instar eunt.
Nam veluti dulcis Veneti facundia Bembi,
Cognita Lotichij sic quoq; lingua fuit.
Cecropidum suaves spaciatus & inde per hortos
Abstrusas Sophiæ fontibus hausit aquas.
Adde tot herbarum vires, cum viribus usum:
Nemo Machaoniæ doctior artis erat.
Sæpè solo Latio medicantibus apta legebat.
Sæpè Pyrenæis gramina nata jugis.
Iamq; obitus rerum, rerumq; notaverat ortus,
Et terræ varias Oceaniq; vices.
Iamq; polos geminos pulchram miratur & arcem,
Claraq; non dubias astra tenere vias:
Tentabat nitidum menti supponere cœlum,
Æthereaq; ingens noscere mentis opus:
Iamq; animi curâ quæ vix deprendere fas est,
Fecerat ingenio cuncta minora suo:
Cùm doluit clausam retineri carcere mentem,
Ne superas acies tangeret alta domos:
Stansq; solo patrio figebat lumina cœlo,
Abdita quo penitus cernere regna cupit.
Sunt gemini, torto currentes turbine, fusi:
Impare, quos onerant pensa voluta, colo.
Altera mortalis sese minuentia vitæ,
Altera mansuræ stamina plena capit.
Mox jubet hic vati mortalia fila secari,
Qui fatis homines, fataq; lege regat.

Tractariq; colum, quâ nulli subdita fato
Sufficit æternos candida lana dies.
Ille statim terris ponens grave quicquid eunti,
Parte sui cœlum nobiliore petit.
Nunc ubi sydereos propius videt ætheris orbes,
Pulchraq; versari cursibus astra suis.
Hic nemus Elysium, sedisq; vireta beatæ,
Quà pietas meriti præmia digna rapit.
Hic sacer occurrens longâ cum veste Melanthon,
Alloquij dulces expedit ore vices.
Grata mora est, veterisq; juvant imitamina facti,
Deq; Dei Nato mutua verba facit.
Ad latus incedit, cui dulci labra fluebant
Nectare, cui vivo de cruce nomen erat.
Hic sacri vates, per opacas frondibus umbras,
Roscida muscosis fontibus antra colunt.
It viridi Celtis redimitus tempora lauro,
Primus hic in nostrâ gente poëta fuit.
Mente manuq; potens, edera præsignis, & armis,
His comes Huttenus vatibus ire solet.
Qui tùnc consortem patriæq; lyræq;, sub umbras
Advocat, ut propius verba pedemq;, tulit.
Helius in niveis propè vestibus astitit Hessus,
Immemor & nondum carminis esse potest.
Iamq; gerens cytharam manibus laurumq; capillis,
Gaudet Jessæos hîc iterare modos.
Non procul umbrosâ residens convalle Micyllus,
Arguto veteres integrat ore sonos:

Qui

Qui tenet amplexu venientem lætus amicum,
Et vetus in longo perstat amore fides.
Dùm tamen hi ducunt socio vestigia gressu,
Manibus ecce recens additur umbra comes.
Liber adest, dederat quem Marchias ora, Sabinus,
Oraq; sunt culti verbaq; nota viri:
Mollibus assuetus numeris, cytharæq; canoræ,
Acria magnorum qui canit arma ducum.
Felices animæ, quibus hic post funera restat
Dulcis in æthereâ sede parata quies.
Hic lachrymæ cessant, & edentes pectora curæ,
Et morbi tristes, sollicitusq; labor.
At placidos manes, fati jam lege solutos,
Mitis in exhausto Nectare pascit amor.
Dùm colis hos lucos illustribus addite vates,
Vatibus, æternâ mens tua luce viget.
Laus manet in terris, donec spacioſus habebit
Pontus aquas, cœlum sidera, gramen humus.
Ad tumulum residentmites Heliconis alumnæ,
Inq; suo Laurus cortice carmen habet:
Quo sita Lotichij vatis sunt ossa sepulchro,
Hoc Charitum & Phœbi conditur omnis honor.

AD DN.
PAULUM RANTZOVIUM,
D. IOHANNIS RANTZOVII,
EQ. Aurati filium, Ductorem copiarum è Belgis redeuntem Anno 1572.
Elegia. III.

Eia age, purpureo surgas Aurora cubili,
Luceat & votis mille petita dies:
Quâ princeps populos urbesq; revisit **Adolphus**,
E Belgo rediens, in sua regna, solo:
Quâ redit Holsatas cum principe **Paulus** *in oras,*
Rantzovidum **Paulus** *gloria, Martis honor.*
Quâ proceres redeunt, equitum comitantibus alis,
Dùm gravis hyberno sydere savit hyems.
Pervolitans glaciem, fragiles ferit ungula crustas,
Et concreta domum per vada currit eques.
Tum gravis arva calor, nunc frigore bruma perurit,
Tunc tulit unda rates, nunc vehit unda rotas.
Templa frequentantes, nunc dona feramus ad aram,
Qua Deus ex alto corde profecta petit.
Nunc simul in grates sit mens tàm prompta ferendas,
Quàm fuit in crebras lingua parata preces.
Moverat hostiles Mars savus in orbe tumultus,
Et trepidos dederant classica mota sonos:
Occiduisq; plagis quatiens Bellona flagellum,
Tristis inundarat sanguinis imbre solum:
Pars sine lege ruit, sine justis effera sceptris,
Exilio dulces pars vaga mutat agros:
Pars furit occulto mentes infecta veneno,
Et lolij sparsit semina dira sui.
Pars quoq; (quæ major) colit impia sacra Maozim,
Oppugnant miseros, ignibus, ense, viros.
Ille status rerum est, hæc forma Brabantidos oræ,
Impietas, cædes, stupra, rapina, doli.

Inclytus

Inclytus ut tantos populi componere motus,
Tutari & Belgas posset Adolphus opes:
In Batavos fines armatum ut duceret agmen,
Nuper ab Hesperio Rege vocatus erat.
Agmen erat præstans, equitum peditumq; cohortes,
Experti dubio Marte fuére duces.
Quales Thrèicios possent arcere maniplos,
Pannonios quandò depopulantur agros.
Quales Mauritius deduxit in aspera turmas
Prælia: cui fuerant nulla pericla satis:
Dura vel Hesiacus delegit ad arma Philippus,
Et sequitur soceri Martia facta gener.
Iam superans Albim, rapidiq; fluenta Visurgis,
Dux transit Mosæ prata rigantis aquas.
Vlterius tendens, rapidi sub syderis æstu,
Mota Brabantiaco castra locavit agro.
Torrida sic æstas, Autumnus & iverat udus,
Phœbus & Ægocerum jàm subiturus erat:
Cùm neq; spes pacis, nec aperti copia Martis
Est data, sed solâ res fuit acta morâ.
Diraq; proposiți cursum turbavit Erynnis,
Et stygiâ telam texuit arte novam.
Namq; tot Heroès belli sine strage peremit,
Totq; pias matres, pignora parva, viros.
Ac iterùm proprias experta in viscera dextras
Gallia, civili sanguine tota natat.
Omen at in ventos abigens Deus, irritâ vertat
Per Latios, Satanæ quæ struit ira, patres.

Consona

Consona relligio veros conjungit amicos,
Quâ sine, sincerus non erit ullus amor.
At Deus hic servat, mediis in motibus orbis,
Qui celebret Christe nomen in orbe, gregem.
Dat Deus occisi Sethum post funus Abelis,
Progeniem Setho sufficit ille piam.
Ille Gigantæis imbellem texit ab armis,
Texit aquis Noan, exiguamq; domum.
Eripit igne Lothon, tunc cum Sodomèia tempe
Sulphuris in fœdum versa fuêre lacum.
Quid loquor? hæc etiam fuerant modò florida tempe,
Quâ sita fœcundo Belgias ora, solo.
Vix abiit lustrum: Subiit lachrymabile tempus,
Omnia ceu rapido fulmine tacta jacent.
Quis scit? an hic etiam multò graviora supersint,
Dùm crescit gemini Martis ab ense furor.
Parce Deus miseris, precibus mitesce tuorum,
Et jubeas tantis cladibus esse modum.
Illa suis hodiè, cras subjacet altera pœnis,
Quælibet est justo vindice terra nocens.
Hæc belli facies: Sic ducunt tempora casus,
Semper & adportant fata severa novos.
Cedendum est fatis: & nos hic cedere fas est,
Nauta procellosis cedit ut æger aquis.
Principis at reditus nobis sit faustus Adolphi,
Excipiat reducem Cimbrica terra ducem.
Quem patria, & tempus, quem sors abduxit ab armis,
Quemq; gubernacli publica cura vocat.

Ut

Ut rectore carens scopulo ratis icta fatiscit,
Sic gens, absenti Principe, fracta gemit.
Audiit omnipotens cœli sed ab arce precantes,
Admisitq; polo fervida vota Deus.
Inclyta dilecti nunc principis Heroine
Lætatur reditu, votaq; læta facit:
Numinis incolumem bonitas ut servet Adolphum,
Et sileant litui, terribilesq; tubæ.
Plausibus aula novis, ad Slejæ stagna resultat:
Purior irriguis Threnaq; currit aquis.
Prælia nunc matres damnant, belliq; tumultus,
Tempora tranquillæ pacis at alma petunt.
Te quoq; dux equitum, fortissime Paule, reversum,
Exultant populi, mensq; favore placet.
In quem consilij moles onerosa recumbit,
Et premit Holsati publica cura soli.
Nunc phaleras, sellas, enses, galeasq; micantes,
Accipiat paries, & voret arma situs.
Quinetiam dulces capiunt nova gaudia nati,
Et reducis cupiunt ora videre patris.
Ranzovicoq; probat natos de stemmate virtus,
Quæ nunc in pueris indole clara micat.
Quos avus & patruus, genitorq; accendere possunt,
Et jàm dulce putant, Marte parare decus.
At patriæ te Paule diu, soboliq; reservet,
Detq; Deus vitæ fata quieta tuæ.
Cimbrica perpetuò sic floreat ora, benigni
Principis imperio, consiliisq; tuis.

Ad

Ad

IOHANNEM MAIOREM, THEOLOGIÆ D. ET POEtam, in obitum filioli Iohannis.

Elegia IV.

AT quæ ferre queam tanti solatia luctus?
Vnicus heu, Major, dum tibi natus obit.
Abditus in lachrymis qui vitam ducis amaram,
Nec citharæ tentas aurea fila tuæ.
Filioli quoties subiit tibi dulcis imago,
Et teneri lusus, blandaq; verba, tui.
Qui nomenq; tuum, frontemq;, oculosq; ferebat,
Gessit & in vegeto pectore dona patris:
Et qui te primus, vates generose, parentem
Fecerat & casti pignus amoris erat:
Quem tu plus oculis, plus ipso pectore amabas,
Spem solam generis deliciasq; tui.
Pro cujus supplex tot vota salute ferebas,
Pro quo malueras haud semel ipse mori.
Hunc ego nequicquam conor lenire dolorem,
Nec dolor hic satis est notus, amorq;, mihi.
Impositum pueri quamvis ego corpus in urnâ
Extuleram mœrens, ossaq; parva fleo:

Detur

Detur & hic circùm lugubrem cernere pompam,
Cum fletu matres, cum lachrymisq; viros:
Non tamen huc, Major, te verba juvantia portem,
Ut minuam luctus, mœstitiamq; tuam.
Tu pater es, propiusq; malum te vulnere tangit,
Ardor & in sobolem nescit habere modum.
Et quò majores animo comprendere motus
Tu potes, hòc major te labefactat amor.
Quem neq; solari datur, aut exponere verbis,
Dum dolor in cursu est, quem pius auget amor.
Sed prohibet nimio Deus indulgere dolori:
Debet & hic metam luctus habere suam.
Jessides teneri plorabat funera nati,
Sed sua concepti meta doloris erat.
Ipse tuus posçit te luctum ponere natus,
Et charum lachrymis abstinuisse patrem:
Nunc in Olympiacâ qui ludit parvulus aulâ,
Ante pedes Christi lucida & ora patris.
Te pia Calliope tentat relevare dolentem,
Et cytharâ vatis carminibusq; piis.
Inter & hæc, patrio tumulus licet undiq; fletu
Diffluat, huc lachrymas, si finis, addo meas.
Et nisi compositi cineres sic forte gravantur,
Hos puer ô gemitus, hoc breve carmen habe:
Filiolus vatis jacet hic quem fata tulerunt,
Alter ne vates major in orbe foret.

Autò

Antitheſis
Epulonis & Lazari Lucæ 16.
Ad
D. IOHANNEM HENnichium,

Elegia V.

Sæpius humanas perturbat opinio mentes,
Omnia cùm variis caſibus acta fluant:
Num Deus hunc mundum ſapiens juſtusq; gubernet,
An ſine conſiliis, an ſine lege ruat.
Cum ſimul involvi tenebris mortalia cæcis,
Cunctaq; turbari, mens quoq; cæca videt:
Florentesq; malos lætis ſucceſſibus uti
Cernit, & afflictâ ſorte jacere bonos:
Quod natura vagis ceu fluctuat icta procellis,
Qui regat hunc mundum pars negat eſſe Deum:
Vtq; aliquid credat, nos hic ſine Numine natos
Credit, & has animas morte perire putat:
Omnia pars videt: pars motibus omnia turbans
Perfurit, ad nutus torquet, agitq; ſuos:
Parsq; Deum ſtatuens, negat huic mortalia curæ:
Abjectam ſe pars jam putat eſſe Deo.
At ſanis melior ſedet hæc ſententia menti:
Imperioq; Dei cuncta regentis eunt.
Nàm cùm diſpicimus celſi tàm pulchra theatri
Atria, cum gemino ſidera fixa polo:

Cumq;

Cumq; gravem vacuo pendere sub aëre terram,
Pondere, quæ nusquam stat, nisi fulta suo.
Cùm stabilem metam tangente volubilis annì
Sole, quater geminas efficit orbe vices:
Cùm sua sint lucis, sua sint discrimina noctis,
Lunaq; fraterno mobilis igne micet:
Fœtaq; terra suo producat tempore fruges,
Et teneant altum littora pressa fretum.
Non hæc orta quidem cœco temeraria fluxu,
Sed summum constat disposuisse DEVM:
Qui mens omnipotens, æterna, & provida, miro
Omnia consilio condidit, atq; regit.
Hinc abiget trepidos dubio de pectore fluctus,
Ad Stygias Epulo præcipitatus aquas.
Floruit hic terris, cœlo non esse putavit
Numen, ad arbitrium est edita vita viri.
Ille inopem vitam terris miseramq; trahebat
Lazarus: at nitidi nunc sedet arce poli.
Hic status exactæ demum post tempora vitæ,
In cœlo felix, inq; Acheronte malus.
Non ita carminibus Grajæ cecinêre Sibyllæ,
Non ità fatidico prodidit ore Maro:
Constituant quamvis Furias, camposq; beatos,
Præmia certa piis, suppliciumq; malis:
Quàm benè divino nobis hæc ore recluſit
Vox, jubar, effigies, Progeniesq;, Patris.
Ille voluptates hominum sub divite pingit,
Immerso vitijs deliciisq; viro.

Aut fuit hic epulo, (tales nam quælibet ætas
Protulit) aut similes ista figura notat.
Lazarus at jacuit miser, æger, & hospes in orbe,
Divitis esuriens qui petit ore dapes.
Nominat hunc Christus scriptus quia codice vitæ est:
Hic miser, at Christo mox duce regna subit.
Hic docet, in terris quæ sit fortuna piorum,
Hos agitet quantis aura sinistra malis.
Impius optato peragit sua tempora cursu,
Impia ceu nunquam cerneret acta DEVS.
Exitus at vitæ tandèm discrimina fecit,
Quo fuit hic felix: quo fuit ille miser.
Lazarus æthereo defunctus ab agmine fertur,
Est Abrahamæo depositusq; sinu.
Dives Avernali defunctus conditur antro,
Hinc ad nos pœnæ fama tremenda venit.
Testatur miseras locus hic fudisse querelas,
Terribilisq; magis nulla querela fuit.
Hìc imâ jaceo dives tellure sepultus,
Damnatos inter, flebilis umbra, reos.
Nupèr eram felix, superâ cùm luce fruebar:
Nùnc miser heu tenebris occulo triste caput.
Liberæ jucundæ duxi tùnc ocia vitæ:
Nùnc Erebo vinctus, mancipiumq; necis.
Purpura viventem texit, preciosaq; byssus:
Nunc circùm heu diro cinctus ab igne tegor.
Splendida delicijs semper luxuq; fluebat
Mensa, sed est animæ nùnc onerosa fames.

Nectar

Nectare tùnc dulci, gelidâ recreabar aurâ:
Pectora nùnc æstu torreor, ora siti.
Me cytharæ, cantus, lusus, risusq; juvabant,
Nunc lachrymæ, gemitus, pœna dolorq; manent.
Talia dùm sævo recolit mens perdita luctu;
Lumina de rapidis tollit ad astra jugis.
Aspicit & procul hinc Abrahamum in luce sedentem.
Teq; simul, qui tùnc, Lazare, junctus eras.
Te videt in gremio placidè residere beato:
Quo viso tales rupit ab ore sonos:
O Abrahame pater, pater ô miserere gementis,
Et mihi præsentem Lazaron esse sine.
Extremam digiti partem qui tingat in undâ,
Frigeret ut linguam parvula gutta meam.
Nàm miserè crucior flammâ hac: pœnæq; recenti
Sum novus, & morti jàm super ipse meæ.
Cui pater: ô fili lætæ reminiscere sortis,
Visus eras felix, cùm tibi vita fuit.
Lazarus in terris vitam tùnc duxit amaram,
Nunc, vice mutatâ, dulce levamen habet.
Tùnc, tibi, qui nullos perceperis antè dolores,
Nùnc dolor æternus, nunc cruciatus erit.
Insuper objecto nos obice claudit hiatus,
Et rigidæ gravido stant adamante fores.
Si quis & hoc cupiat, non hinc descendere fas est:
Scandere nèc fas hùc, si quis id optet, erit:
Summus & à terris quantùm sustollitur æther,
Terribilis tantùm Tartarus ima petit.

Tùm dives: pater oro, tamen dimitte beatum,
Quà patriâ fratres sunt mihi quinq; domo.
Has aliquis flammas Erebi testetur acerbas:
Ne veniant, ego quo sum miser usq; loco.
Hic Abrahamus: habent Mosen sanctosq; Prophetas,
Auribus excipiant, jussa, fidemq; suis.
Tùm contrà: heu ne sic sævi pater optime, pluris
Si quis abhinc mortis vincla refringat, erit.
Dirigat hic gressus ad celsa palatia fratrum,
Vt vitæ mutent deteriora suæ.
At pater: haud credent Mosi, sanctisq; Prophetis?
Nulla fides, si quam mortuus ullus habet.
Sic Pater hunc statuit finemq; modumq; loquendi:
Dives flammiferis cogitat acta vadis.
Ergò nulla mihi solatia præstat Abramus,
Fert nec opem superâ Lazarus arce mihi!
Hic erat æger, inops, despectus, & ulcere fœdus:
Cùm mihi forma fuit, gloria, robur, opes.
Turba meos vultus tunc observabat: at illi
Lambebant sanie livida membra canes.
Mille mihi plenas onerabant fercula mensas:
Huic nudam pepulit vix benè mica famem.
Ipse satur jacui plumâ suffultus & ostro:
Hic duro esuriens limine stratus erat.
Omnia tunc habui: tunc omnibus alter egebat:
Terra mihi cœlum, numina venter erat.
Vita mihi tunc vita fuit: mors dura sed illi
Pœnaq;: nunc versas conqueror ipse vices.

Nunc

Nunc ille æthereis solatia Lazarus oris
Accipit, & vitæ dona perennis habet.
Pro pallore decor, pro fletu gaudia restant,
Et pro morte salus, proq; labore quies.
At mihi pro vitâ mors est: grassantur in artus
Æstus: mens furiis exagitata tremit.
Aula Erebus, lychniq; rogus, tractaq; cathenæ
Sunt cytharæ, potus Styx nigra, sulphur odor;
Eumenidesq; truces chorea: fera verbera plausus:
Excubiæq; sopor: ferrea strata tori.
Pectora nec cessat mihi dentibus intima rodens
Vermis, inextinctâ lambit hic ossa face.
Nec mihi morte semel licet hanc abrumpere vitam,
Quæ mihi nec mors est, nec mihi vita tamen.
Nec satis absumi est, absumptus at usq; renascor,
Nec satis in pœnas tartara mille meas.
Heu mihi si nostrum patuisset limen egeno,
Jam mihi non cœli limina clausa forent.
Quoq; magis luctor, magis ignibus implicor atris,
Altius horrendis mergor & angor aquis.
Quà nec aquæ dulces: sed letifer incubat anguis,
Quà dolor, & tenebræ, monstraq; dira fremunt.
Nec tàm cuncta dolent, quàm cœli conspicor aulâ
Quòd pulchras animas, mœror ego atq; dolor.
Ah, cœlum atq; DEVM potui quòd spernere vivens:
Mille simul mortes mors parit una mihi.
Hinc obstat mihi lex, & inexorabile numen,
Nullaq; in æternâ gratia morte redit.

Hæc Acherontæo miscens immurmurat Orco,
Ignis abundantes sentit & umbra rogos.
Post gelidam, reliqua est hic nulla redemptio, mortem:
Non dolor hic finem non cruciatus habet.
Lazarus at sedem, cœlo rutilante, serenam,
Lucis & æternæ gaudia summa capit.
Nos hìc ærumnas patimur, vitæq; subimus
Tædia, tu mundi fer modò rector opem.
Christe potens, opifex rerum, Patris unice fili,
Vnus & amborum spiritus, unus amor:
Dùm licet, & sumus hìc (ea tempora sola supersunt)
Auxilio da nos, optime Christe, frui.
Da veniam factis: da te simul alme potiri
Christe fide: Flatus da pia dona tui.
Tùnc quoq; spe plenos, Patris ad cœlestis honores
Lucida nos præpes transvehet astra chorus.

AD
Dn. JOHANNEM SCHULTEN, L. Senatorem Hamb.

De cerva Auroræ, sivè de morte, & resurrectione Iesu Christi redemptoris nostri.

Elegia VI.

CErva velut pastum, latebrosa cubilia linquens,
Ad matutini lumina Solis, adit:

Hinnulei

Hinnulei matrem sylvâ comitantur in altâ,
Cum ludit teneris roscida gutta comis:
Pabula distribuit succo pia cerva salubri,
Et lac porrectis stillat ab uberibus:
Sic Christus Solymæ tectis excitus ab urbis;
Lux sacra doctrinæ cùm dedit orta jubar:
Cum sociis sero celebrans sub vespere cœnam,
Solennes agni cùm posuére dapes:
Vellere qui niveo verum signaverat agnum,
Insons qui durâ crimina morte luit.
Pabula dat verbi, puros ex ubere succos,
Æthere ros veluti manè per arva cadit.
Dat corpus simul ipse suum, roseumq; cruorem.
In cruce quo fuso pectora nostra lavat.
Mitis at auroræ croceos dùm cerva sub ortus
Pallade fœcundis exspaciatur agris.
Dat Solymâ cornu signum venator ab arce,
Et latrant circùm, turba soluta, canes.
Perfidus hos inter, qui mensæ assuetus herili,
Nare sagax, cervæ pascua nota subit.
Perfidus heu nimium, Dominumq; per oscula prodit,
Latratuq; alios excitat ore canes:
Excitat in mortem cervæ, quæ cassibus hærens
Concidit, & latâ est cuspide fixa latus.
Cerva quid auroræ nupèr formosior ortu,
Quid nùnc tàm miserè cerva peremta jaces?
Ira Patris, labes hominum, lex aspera, lethum,
Quatuor hoc unum tùnc petiére caput.

Occidit heu mortis telis objecta cruentis,
Pertulit & diram sponte volensq; necem.
Hoc cruor emanans è vulnere crimina delet,
Et simul in partes syngrapha scissa volat.
Ira Patris cessat nec lex jacit horrida diras:
Hanc animo & membris Christus uterq; tulit.
Mortis & erumpens vinclis se liberat arctis,
Mortis & obtundit spicula morte suâ.
Mors ubi nunc acies tua, & hasta, & robur Averni?
Mors tua, Mors, Christus: pestis, Averne, tua est.
Hæc manet absorptæ testis victoria mortis,
Arma procul, laquei, telaq; fracta jacent.
Extractum latebris cervæ ciet halitus anguem,
Qui vomit è Stygio dira venena lacu:
Hinc collecta sitis fuit, humanæq; salutis
Ardor, at æthereis fontibus hausit aquas.
Lethales figunt corpusq; animumq; sagittæ,
Sed vis dictamni cœlica præstat opem.
Sic cùm puniceo lux tertia fulserat ortu,
Christus ad auroram manè resurgit humo.
Excitus ex imo portas evulsit Averni
Cardine, contrito victor & angue redit.
Victor iô salve: te terra salutat & æther,
Æther luce novâ, germine terra novo.
Tu mortem perimis, peccataq; nostra sepulchro
Obruis, & vitam justiciamq; refers.
Tu nostros aperis tumulos, tu morte resurgis
Primus, tu cœlum reddis, & astra subis.

Lux

Lux velut exoritur cum purpureæ auroræ
Vmbra fugit subitò; sol novus axe micat:
Sic animis pellas nostris, ô Christe, tenebras,
Transfer & in lætum corpora nostra polum.
Sol ubi justiciæ fulges tu clarior astris,
Corpora ibi tecum nostra micare dabis.

AD
M. DAVIDEM PENS-
HORN.

De resurrectione & victoria Jesu Christi.

Elegia VII.

TOllite iô lætas, ad sydera, tollite voces:
Christus Avernali victor ab hoste redit.
Victor iô superat, primusq; revertitur Orco,
Vnde fuit nulli fas retulisse pedem.
Nunc age, dùm cœlo Tithonia dimovet umbras,
Et matutino gramina rore madent:
Necte comam violis Elegèia, lætaq; carmen
Dic age, cum cantu lux eat orta novo.
Tuq; DEO atq; homini, David charissime, Christo,
Hac etiam mecum concine vota die:
Qui sacra jam vigili cura, qui pascua servas,
Pascis & Hamburgâ Præsul in urbe gregem.

Regis ad exemplum Davidis tu quoq; David,
Et cytharam ſanctam tangis, amasq; melos.
Vota reſurgenti fundam felicia Chriſto,
Illius in laudes voxq; lyraeq; ſonent.
Iàm nece damnati commiſſa piaverat orbis
Chriſtus, ab ingrato deditus orbe neci:
Nilq; Palaſtinis magis execrabile terris
Rex quibus æthereâ miſſus ab arce fuit.
Eſſe nec immani potuit crudelior hoſti,
Quàm Servatori gens fuit iſta ſuo:
Quæ nec inhumanas in morte relinqueret iras,
Quâ tulit indignum ſanguinolenta caput:
Sed ſubijt campum frendens, ædesq; Pilati,
Et morti vigiles poſcit & arma petit:
Cùm tamèn ipſa ſuo lugens natura parenti
Cum gemitu triſtes ſolveret exequias:
Cùm Sol obtegeret mœſtum ferrugine vultum:
Obtegeret faciem Lunaq; plena ſuam:
Terraq; dùm manes divulſa pateret ad imos;
Et juga viſceribus contremuêre ſuis:
Nec vivos uno tamèn abſorberet hiatu,
Quandò parant Domino vincla necemq; ſuo:
Sciſſum etiàm templi velum penetrale recluſit,
Quo ſacra divini fœderis arca ſtetit:
Cùm mox exuvias patrum miſſura ſub auras
Buſta ſimul rupto ſunt reſerata ſolo:
Cùm fluctus etiàm maris intumuêre profundi,
Nec ſe littoribus continuêre ſuis:

Terribili

Terribili Triton fremitu est testatus in undis;
Factorem rerum jam cecidisse DEVM:
Hæc jàm transierant: nec adhuc Solymëidos urbis
Agnovêre suum pectora sæva nefas.
Nec monitrix tellus, nec flexit pectora cœlum:
Heu quantum rabidi corda furoris habent!
At pauci, feritas sociæ quibus impia gentis
Visa fuit, tantis ingemuêre malis.
Cùm lachrymis Christi sparsêre calentibus artus,
Iustaq; regali more parata forent.
Sic tumuli poscebat honos, manibusq; suorum
Compositus vacuo marmore Christus erat.
Perfectoq; recens ut Filius orbe quievit,
Sic jàm septenâ luce quievit humo.
Grata quies animæ, quæ corpore parta soluto est,
Et lucem hanc, quæ nùnc septima fulget; amat.
Hic agat ut nostro dulcem sub corde quietem,
Quæ turbata vafri Dæmonis arte fuit:
Cùm lucis radios accendet mente priores,
Et vitam referet, justiciaq; decus.
Sic etiàm positus gelidi sub mole sepulchri,
Corpore sacravit nostra sepulchra suo.
Nec potuit tumulo sanctum putrescere corpus,
Cui Logos arcano fœdere junctus erat.
Tertia purpureo jàm lumine fulserat Eos,
Cùm sita sub clauso membra fuêre solo.
Assyrios, costum, stactenq; ferebat odores,
In Solymâ mœrens quæ fuit urbe nurus.

Vt sa-

Vt sacrum succis fragrantibus ungere corpus,
Et veteri tumuli spargere more queat.
En gravis insonuit tellus, commota tumultu,
Et tremuêre cavis territa saxa jugis.
Aliger hic præpes cœlo delapsus ab alto,
Devolvit saxum, depositoq; sedet.
Fulgur erat facies, nitet ut nix candida vestis,
Visa solo primùm quæ cecidisse fuit.
Custodes tumuli subito terrore paventes,
Exanimes celerem corripuêre fugam.
At lapidis spectans revolutâ mole sepulchrum
Fœmineus Juvenis conspicit ora chorus.
Palla serenata radiabat imagine circum,
Et dextrâ residens parte decorus, ait:
Esto metus procul hinc: Jesum scio quæritis, altâ
In cruce qui fixus triste pependit onus.
Non tenet hunc ultrà tumulus, surrexit in auras.
Eccè locus busti quo tumulatus erat.
Ite citæ, memorate aliis, Petroq; dolenti,
Vos præcessurum quà Galilæa jacet.
Hic vos (dixit enim) carum cernetis Iesum,
Illius ex verbis certa petenda fides.
At Solymæ trepidantq; nurus, fugiuntq; sepulchro,
Cordaq; solliciti plena pavoris habent.
Magdalis ad vacuum tendit quoq; sola sepulchrum,
Quæ mox Johannem permovet atq; Petrum.
Cursibus hi pergunt ad inanem tendere tumbam:
Linteolum tamen & fascia sola jacet.

At

At Maria in campis properans ad busta reversa,
In tacitum lachrymans flexerat ora locum.
Aspicit hìc binos juvenes: caput alter ad urnæ,
Alter ad extremum visus habere pedes:
Quid fles ô mulier? Juvenes dixêre; Tulerunt
Hæc Dominum, & positus nescio, dixit, ubi.
Magdalis hanc mœrens oculis quærebat in horto,
Et madidæ lachrymis intepuêre genæ.
Ecce tuis oculis offert se primus Iesus,
Viderunt oculi nec tamen esse tui.
Ipse prior: mulier quid ploras? quemvè requiris?
Illa sed amissum quærere corpus ait:
Membraq; dic ubi nunc, horti præfecte, locâris,
Vt tumulo extincti debita dona feram.
At Christus Mariam placidâ cùm voce vocaret,
Substitit ad Mariæ nomen, & obstupuit.
Noscit & amplexus parat & venerata magistrum
Communi properat tangere more suum.
At Christus: noli me tangere: res ea terris
Propria: cœlestis me vocat ora poli.
Nondum conscendi: sed nunc conscendere cœlum
Ad meum, & ad vestrum pergo patrem atq; DEVM.
Iamq; meis rerum tu nuncia fratribus ibis.
Hæc Domini peragit maxima jussa sui.
Eva velut cum lapsa fuit, promissa prehendit,
Cumq; recente capit gaudia prima viro.
Hinc reliquis offert nuribus sese: inde duobus,
Nota dedit per agros ora videnda viris.

Hinc

Hinc reliquis offert nuribus sese: inde duobus
Nota dedit per agros ora videnda viris.
Hinc Petro sese Galilæis obtulit arvis,
Discipuli & memorem se probat esse sui.
Nec non & Cleophæ comitiq; sacerrimus hæsit
Advena dum sancti pectoris edit opus.
Increpat ac urget, simul & fervoribus implet,
At panis notum fragmine fecit amor.
Hi redeunt Solymam, rediit quoq; Christus in urbem,
Hesperus ut trepidis ortus ab axe viris.
Hic optat pacem, quâ nunc tranquilla fruuntur
Pectora, nam Christus pacis hic autor adest.
Vndeni credunt (at Thomas abfuit) ægrè:
Pars etiam spectrum lugubre stare putat.
Agnitus est tandèm monstrans venerabile corpus,
Atq; manus, & quæ signa in utrisq;, pedes.
Ostenditq; latus, quo fluxerat unda cruorq;,
Nostraq; ab admissâ pectora sorde lavant.
Piscis at hinc, mellisq; vident hunc sumere partem:
Adstitit & DEVS hic, verus & edit homo.
Sic perhibent vates: hic Christus morte peremta,
Surgit, & enatæ dona salutis habet.
Vox hinc læta sonat, labesq; remittitur omnis,
Incipit & Solymâ clarus ab urbe sonus.
Viva fides habitans in cordibus arripit ultrò
A magno Christi quicquid amore datur.
Dat mandata suis, & sancti Flaminis auram,
Vimq; remittendi crimina cuiq; sua:

Datq;

Datq; potestatem terris peccata ligandi,
Si cui præfracto pectora dura rigent.
Hos dedit aspectus formoso corpore Christus,
Pura carnis homo, luce micante DEVS.
Terra sinum pandit, flores eduntur & herbæ,
Ales & in tenerâ fronde canora salit.
Arboreis residens variato gutture ramis
Daulias argutum jam meditatur opus.
Iam sylvæ reparant frondes, fons exit ab antris,
Altaq; gramineo flumina rure sonant.
Dux silet infernis Erebi teterrimus antris,
Christus & antiquo victor ab hoste redit.
Morte cadit Christi telis mors victa cruentis,
Mors imam squallens languida preßit humum.
Mortis acuta fuit vis labes addita lapsis,
Ira ferens flammas, lexq; pavorq; necem.
Mors absorpta vorax: tanta est victoria Christi,
Mors, ubi nùnc telum, dira vel hasta tua est?
Dux ubi nùnc Stygis est? Christus nos crimine solvit,
Nec rata lex damnat, cessat & ira Patris.
Nec poterunt nocuisse, potestates q; minaq;:
Iàm spoliis Erebi Christus onustus ovat.
Ætherei nobis tribuit sanctißima Flatus
Munera, dat veniam, justiciaq; decus.
Addit & hic vitæ simul immortalis honorem,
Alloquioq; DEI lætitiâq; frui.
Regia nunc igitur pandit vexilla redemptor,
Vnus qui Christus, sed DEVS est & homo.

Culta-

Cultoresq; vocat, qui sub sua signa reducti,
Sparsaq; purpureo sanguine corda gerunt.
His me sub signis da castam ducere vitam,
Inq; viresceni, Christe, manere fide.
Fac simul exemplum fortis sic tangere Jonæ,
Qui modò Pistricis ventre retentus erat:
At modò Pistricis fervente retractus ab alvo est,
Tertia dum currit luce nitente dies.
Tertia sic quoq; lux ibat radiantibus alis,
Et Sol æthereo clarior axe fuit:
Ecce resurgit humo, caput & fert Christus in auras,
Qui modo sub saxi fornice clausus erat.
Quamq; animam posuit moriens in stipite ligni,
Et Patris in summi tradidit antè manus;
Alma suos rediit exciti ad corporis artus,
Æterna & membris reddita vita fuit.
Nec sua membra Logos nos hìc mortalia linquet,
Turpi facta licèt pulvis & umbra situ.
Æthereâ Christus jam ducit in arce triumphos,
Quos homo cunctipotens nunc agit atq; DEVS.
Clara vehet secum radianti corpora curru,
Atq; trahet lethum, tela, Stygisq; ducem.
Interea roseam liceat sic condere lucem,
Vt pia cum socio pectore lingua sonet.
Et fragili nobis quanquam mens corpore pulsa est,
Lux tamen & tempus quandò redibit erit.
Non procul hæc aberit: tu Christe vocantibus adsis;
Inser & in superas corpora nostra domus.

AD

AD
M. GVERNERVM ROLEVINCIUM Rectorem, cùm in Albi navigaret, acceptis ab eo literis vocationis suæ Scholasticæ Anno 1575.

Elegia VIII.

ALbi pater, refluos qui volvis ab æquore fluctus,
Et Lunæ varios flecteris ad radios:
Qui Labyrinthæis penetras discursibus urbem,
Suspicis & Nympham margine turrigeram:
Quam dictam his quondam terris de gente vetustâ
Insigni memorant nomine Gambriviam.
Albi, pererratis quòd me nùnc partibus orbis,
Optato patriæ suscipis in gremio:
Has primùm persolvo, DEVS tibi maxime, grates,
Omnia qui proprio dirigis arbitrio.
Qui toties dubiæ expertum ludibria sortis,
Me facis hìc finem ponere tristitiæ.
Da pater hoc æterne poli qui sydera torques,
Orbis & immensum fers simul imperium.
Hinc Rolevinciadæ veteri devinctus amico
Perpetuis maneo sedulus officiis:
Dedita quandò mihi numerum suffragia complet,
Et proceres inter me juvat ore suo.
Ore sedet cujus dulcissima Suada sonoro,
Hyblæis tingens labra diserta favis.

Cum res magna petit, cultissima scripta relucent
Eloquii nitidis floribus Ausonii.
Cum res grata petit, facundum & molle, petita
Trans mare Cecropiæ mella refert Veneris.
Nec minus Hebræis lympham de fontibus haurit,
Atq; animum æternæ luce rigat Sophiæ.
Felicem, fragilis qui sic sua collocat ævi
Tempora, virtutum hoc, & pietatis opus.
Hoc erat, in somnis quòd roscidulæ auroræ
Sub croceum cepi dulcia verba jubar.
Iàm cœli reserare fores Dea flava parabat,
Submittente faces æthere Luciferi.
Cùm riguos mihi sera quies irrepsit in artus,
Nam curis fuerat nox ea sollicitis.
Vera loquor neq; causa mihi est cur fingere tentem:
Hæc oblata animo sunt mihi visa meo:
Adveniens peregrè, patriamq; ingressus in urbem,
Per notas visus sum pedes ire vias.
Visitur agniferi templum quà nobile Iani,
Hic ubi sole micat culmen Olympiaco.
Obvius in mediâ factus Rolevincius urbe
Excepit reducem voce manuq; suum.
Et dubium eventu loca per deduxit amœna,
Iam cœtum DEVS hìc servat Apollineum.
Dùm dextram atq; animum fidi complector amici,
Mox sperata mihi non prius aure lego:
Aonidum monstro tibi tecta: fidelis amorem
Officii poscunt: mecùm ea tecta coles.

Hinc

Hinc me multa monens scribi dignissima cedro,
Erroris metam nunciat esse mei.
Post hæc somnus abit: magni simul aurea Solis
Procedunt tremulo lumina ab Oceano.
Irrumpens Albim quà perstrepit ostia lymphis,
Hìc ubi sunt arvis tecta Brobergiacis.
Prosilio stratis & visus mente revolvo,
Ritè secundarent quos simul, oro, DEVS.
Mox patrias vidi missas ex urbe tabellas,
Quas tulerat roseum nuncius ante diem.
Tresq; dies ibant cùm lux sacra Paschatis acta est,
Certius ex voto venit epistolium:
Quod Guernere tuâ conscriptum candide dextrâ,
Funditus evulsit pectore mœstitiam.
Grata serenanti figebam basia chartæ,
Nilq; illâ potuit dulcius esse mihi.
Nùnc mihi, nunc liceat requiem sperare laborum
Quos mihi sub Boreæ sors gravis axe tulit.
Mœrens indolui, nudis velut horrida sylvis
Cùm nix aspersis incubat alitibus.
Aut ad stagna sedet velut alta Caystrius ales,
Quæ glacies canis aspera claudit aquis.
Elabi mihi tunc dolui sine fruge juventam,
Et sensi duri tædia servitij.
Audivêre meos gemitus sylvæq; feræq;
Sæpè soluta meas nixq; tulit lachrymas.
Cumq; æstu secat arva canis, fletu arva rigabam,
Altæq; adhuc carmen flebile fagus habet.

Hæc ego Gambrivius gelidis in vallibus erro:
Quandò erit erroris meta quieta mei?
Nunc Rhodanum ac Tyberis magnum obliviscor amorem,
Hæc quasi sunt oculis somnia falsa meis.
Visere me finxi celebrata Quirinibus arva,
Et quas ampla fovet Gallia Pierides.
Iàm desiderium patriæ me ducit amatæ,
Dùm tango octavæ limen Olympiados.
Vt veteri modò sponte velim discedere cœpto,
Atq; ratem dubio flectere in Oceano.
Prospicere hoc rerum prudens exoptat Vlysses
Fumus ut è furnis evolitet patriis.
Vatibus haud fulvum sperandum è Colchide vellus,
Et servat vigilans aurea mala Draco.
Ergò mihi satius portus intrare propinquos,
Cærula per rabidi quàm remeare sali.
Ventus agè huc celerem fluviis age spumifer alveum,
Iam faustis pedibus compita nota teram.
Najades amnicolæ, quæ dulces spargitis undas,
Vallibus his testes estis ab Hesperiis.
Intereà curis penitùs me solvo molestis,
Atq; sacris totum dedico me studiis.
Suspendoq; ocreas, & pallia, & arma, galerumq;
Apta resumenda est hinc toga gymnasiis.
Et Ciceronis erunt, & erunt mihi tersa Terentĩ
Credita floriferis scripta voluminibus.
Tu mihi cymba vale: vale alto conditus alveo,
Cincte racemiferis Albi cacuminibus.

ΣΩ.

ΣΩΤΗΡΙΑ

AD DEVM OPT. MAX. PRO seipso ex tempestate divinitus liberato, die Brumæ. Anno 1566.

Elegia IX.

JAm mihi lux acto memoranda revertitur anno,
Quâ velut ex medio funere raptus eram.
Cùm niger ingrueret mihi turbo frementibus auris,
Et subij rapidis sæva pericla vadis.
Hac te luce DEVS cytharâ celebrabo quotannis,
Dum mihi sit spirans halitus ore super.
Has tibi corde preces Arabum pro thure sacrabo,
Et pro muneribus carmina grata feram.
Cognita si veteri pia Musa Simonidis ævo est,
Argolico fictos qui canit ore DEOS:
Cum fluit in somnis monitus, ne littore puppem
Solveret, evitans crastina damna viæ.
Vidit ut horrisono sociorum naufraga ponto
Corpora, qui vati non habuêre fidem:
Nùnc mihi fas veri meritas contexere laudes
Numinis, & major nunc mihi causa subest.
Nam summi adfulgens mihi Numinis aura per undas,
Præsentis repulit fata sinistra necis.
Saxonico Latias tentabo pollice chordas,
Cum fuerit Cæa gratia tanta lyræ.
Notus ubi est Christus divi procul inde facessant,
Musa sit æterno nostra dicata DEO.

Venerat hybernæ jam nox longissima brumæ,
Solis habet fessos dùm Capricornus equos.
Fortè dies aliquot patriâ tunc urbe moratus,
Hamburgum resluus quà secat Albis, eram.
Indè paro cymbâ medium transire per amnem,
Fulserat ut cœlo manè rubente dies.
Non tùm ventus erat, tamen est assurgere visus,
Nocturno leviter stricta sed unda gelu est.
Viginti mecum comites simul ire parabant,
Accipit intrantes puppis adunca viros.
Flumina jamq; vocant, & erat jàm nauta paratus,
Nectebat multas attamen ille moras.
At mora longa fuit dudùm mihi transtra prementi,
Defluxit tacitâ pronus & Albis aquâ.
Tùm mihi nescio quid mens præsagire videtur,
Attulit occultas indiciq; notas.
Singula nùnc volvo mecùm dubiusq; revolvo.
Ventus & unda vocant, mens renuebat iter.
Nam neq; tempestas me terruit antè, nec unquàm
Flatibus obliqui detinuêre Noti.
Impetus ecce tamen mihi venit abire carina,
Consilij causæ me latuêre mei.
Jamq; manu veluti ducebar & ore vocabar,
Ardere in mediis visaq; cymba vadis.
Protinus exilio, comites navemq; relinquo,
Collibus ingressus littoribusq; pedes.
Iàm conducta mihi fuerat ratis altera ripis,
Candidus à naso mons ubi nomen habet,

Quaq;

Quàq; viâ breviore licet, tutumq; putabam,
Albiacæ demùm trajiciuntur aquæ.
Sol humilis medio tunc vexit in æthere currum,
Nubibus at densis abdidit ille caput.
Iamq; levi fueram subvectus in Albida lembo,
Abfuit & spacio littus utrumq; pari.
Turbatum subitò volat ecce per æra turbo,
Nix simul horren i grandine mixta cadit.
Eripit hæc visum, resonat per tempora grando,
Cogit & obliquas devius Auster aquas.
Aura volat circum, nebulæ funduntur opacæ,
Agnosciq; potest vix benè prora ratis.
Quàm procul extendi possunt à corpore palmæ,
Tàm procul hæc acies luminis ire potest.
Volvimur instabiles validâq; repellimur aurâ,
Intrat & unda ratem, pulsat & unda ratem.
Vt trepidans quatitur violento fraxinus Euro,
Ictibus aut aries mœnia parva quatit.
Sic tremit insanæ crebris assultibus undæ,
Tunditur & rapidis icta carina Notis,
Et supra caput est, intrà furit hostis & extrà;
Vela ferit ventus, fluctus utrinq; latus.
Et veluti nusquàm fluvio satis esset aquarum,
Aspera nix pluviis mixta ruebat aquis.
Nùnc vada cæca subit, nùnc gurgite tollitur imo
Ad nubes veluti rursus itura ratis.
Fluctuat ut vaga sors, quæ circumvolvere fertur
Instabilem gyris irrequieta rotam.

Sic tenebras inter, jactata furentibus Austris,
Vertitur in magno flumine parva ratis.
Undaq; vicino de marmore salsa recurrit,
Insurgens tumidâ dùm redit æstus aquâ.
Quid non tùnc animo volvi? furit æquor & æther,
Tamq; fuit propè mors, quàm propè fluxit aqua.
Occidimus toties quoties nos verberat unda,
Atraq; mors circum est visa volare ratem.
Qui color in foliis quæ frondibus excutit Auster,
Prima per Autumnum cùm nive sævit hyems.
Qui color est buxo tereti, ceræq; recenti,
Aut quibus in dubiâ lumina morte natant.
Talis erat facies virides spectantibus undas,
Corpore quisq; cadens quas subiturus erat.
Erecti tremulo stabant horrore capilli,
Vitalisq; ierat corda sub ima cruor.
Nulla salus nisi posse mori, consumtaq; spes est.
Fluctus at in mortem non satis unus erat.
Auditus clamor, ventus superavit at illum,
Clarius at ventis insonuêre preces.
Tunc quoq; non vidi latuit quod nubibus atris,
Ad cœlum effudi fervida vota DEO.
Respice summe DEVS, generis pater unice nostri,
Antè oculos mors est, nos rapit Albis aqua.
Ne meritas diris in fluctibus exige pœnas,
Christe potens adsis, flabraq; sæva domes.
Qui pavidos comites, fremerent cùm ventus & unda:
Plura locuturo fluctus in ora ruit.
Cætera erant gemitus: gemitus sed turbine claro
Audierat tacitos, votaq; nostraq; DEVS.

Attamen interea rediit spes nulla salutis,
Sed probat injectâ pectora nostra morâ.
Intremuit malus, tùm lintea scissa volabant,
Errat & obliquo vortice torta ratis.
Anxius amittit fluidi retinacula veli
Rector, ut in clavo fortior esse queat.
Cesserat ars ventis, clavo non sponte relicto
Ora repleturas pallidus horret aquas.
Turbinis arbitrio ferimur: quæ sola supersunt
Vota, gubernaculum, carbasa, rector erant.
Non jàm quisq; semel poterat periisse videri,
Sed cumulo quoties ingruit unda suo.
Inter at hæc, qui nos agitabat atrocibus undis,
Fert gravis invito turbine ventus opem.
En rapit à summo gravior vis carbasa malo,
Prima dari insano visaq; ab hoste salus.
Nam nisi rupisset fluitantia lintea pinnis,
Jam foret in mediis hausta carina vadis.
Hìc primùm rediit in membra trementia sanguis,
Inter inundantes spesq; refulsit aquas.
Qualis ab urgenti subitò qui morte revixit,
Mox oculis Phœbi quærit in axe jubar.
Sìc quoq; nos rapti mortis de fauce propinquæ
Quærimus obductum nube nigrante polum.
Poscimus & placidum flumen, tutumq; receptum,
Vel quemcunq; daret Numen adire sinum.
Mox tumidos remis adnixi frangimus æstus,
Et pars acceptas egerit intùs aquas.

Disjectus vacuo prætervolat æthere nimbus,
Et spargunt dubium nubila fulva jubar.
Quas ego jàm possim tibi solvere maxime grates,
Albidos è tumido qui rapis amne DEVS.
Non vis ingenii tanta est, non pectoris ignis,
Nostro nec bonitas evolüenda stylo.
Pectus at hoc sacrum tibi, & hæc te lingua sonabit,
Pectus & hoc fusum, lingua soluta tibi.
Iam tibi frenatas referam pater optime lymphas.
Et memorem tanti muneris esse juvat.
Sìc tandèm cumulos evadimus inter aquarum,
Nautaq; limosa corpora ponit humo.
Quà sita congesto ripis atq; aggere tellus,
Nomen ab antiquâ quæ regione tenet.
Scilicet hanc primus devicit Carolus armis,
Albidos hac cohibens mole frementis aquas.
Hic melius lentis plantas immergere glebis,
Quàm caput Albiacis condere triste vadis.
Hìnc ego spumantes spectans ex aggere fluctus,
Heu frustrà comitum lumine quæro ratem.
Ferreus, ah, verè fuit atq; ferocior undis,
Sulcavit fragili qui rate primus aquas.
Credidit hic vitam ventis pelagoq; vehendam,
O mens in clades ingeniosa suas.
Non has ipsa vias prudens natura probavit,
Quæ dat limitibus cuncta patere suis.
Concessit terras & segregat æquora terris,
Et cohibet metis invia stagna suis.

Cui

Cur igitur tentamus aquas? nisi fortè putemus,
In terrâ ad mortem non satis esse viæ.
Non opus humanis undas adscisere fatis,
In nostram tellus est satis una necem.
Quin vix ulla fidem servant elementa: nec æquor
Nunc habet antiquas, terra nec alma, vices.
Fallor ego, an mihi sunt audita tonitrua cœlo,
Cùm modò fluctisonis impeteremur aquis?
Finxit an hæc inter ventorum cæca fragores
Cùm mens præsenti est obstupefacta malo.
At medium vidi flammis discedere cœlum,
Nubibus & crebras emicuisse faces.
Halcyonum numerat placidos jam navita soles,
Expectans faciles per freta tuta vias.
Sollicitum verò spes fallere vana videtur,
Auspicium brumæ qui modo triste vides.
Ne dubias mirere vices, mens perfida passim
Est hominum & pœnas attrahit omne scelus.
Hinc mutant elementa fidem, naturaq; cursum,
Mallet & officiis tota vacare suis.
Mitis at, Halcyone, precor hos sine turbine cœli
Iam tibi (si pater est Æolus) ire dies:
Mollitèr ut teneros foveas super æquore pullos,
Vnda suam rabiem temperet, aura minas.
Hæc ego ventorum per murmura rauca voluto,
Dùm levis irata spuma residit aquæ.
Excutio gravidis stillantes vestibus undas,
Humentesq; tero letus & udus agros.

Tecta

Tecta per horrentes campos ut Chaonis ales
Immodico pennas imbre gravata petit:
Sic procul aërias suspexi lumine turres,
Qua vetus optatos dat mihi Stada lares.
Quà floret pietas, & sanctus in orbe senatus,
Conciliumq; pium, justiciæq; decus.
Non procul hinc templum mediis venerabile campis
Visitur, à saxo quod leve nomen habet.
Hìc jubeo comites mecùm persolvere grates,
Et pia præsenti solvere vota DEO:
Qui nos eripuit tetræ de limine mortis,
Cùm ripas Stygiæ jam premeremus aquæ.
Sol erat Hesperio tincturus in æquore currum,
Nos & anhelantes acceleramus iter.
Hesperus ad Stadicam serus me detulit urbem,
Et tetigi fesso limina grata pede.
Attulit huc miserum nobis lux postera casum,
Merserit ut comites sæva procella meos.
Tendere qui primâ tentârant nave per Albim,
Quos rapuit mediis fervidus æstus aquis.
Solus ut enârit correpto navita malo,
Posset ut, heu, tanti nuncius esse mali.
Protinus ingemui quamquam neq; frater in illis,
Nec soror, aut multùm notus amicus erat.
Quòd sed erant Juvenes, dolui, teneræq; puellæ,
Corpora quæ gelidâ nùnc vehit Albis aquâ.
Albi pater, non jàm pater, Albi, sed invidus hostis,
Infido socios qui tot in amne necas.

Fluctibus

Fluctibus obrueres tu corpora piratarum,
Oblita quos multo sanguine præda juvat.
Ipse tuis quoties ripis te carmine mulsi,
Quandò videreris leniùs ire vadis.
Leucoris in gremio juvenem cùm diva foveret,
Sivè sub Hammoniis mœnibus alma Dryas.
Cuncta dedi ventis, tu murmura crebra rependis,
Qui jàm save paras fluctibus Albi necem.
Quid? si non patrium possem te dicere flumen,
Num poteras fatis durior esse meis?
Mitiùs in Rheni potui perijsse fluentis,
Cùm brevibus ratis est parva rotata vadis.
Quà mures veteri fecerunt nomina turri,
Multus ubi rapido vortice gurges obit:
Dedecus esset aquis insontem mergere fluctu,
Majus at, Albi, tuis dedecus esset aquis.
Hæc ea culpa tua est, tu parcere nescius amnis,
Amnis arenosâ corpora mole premis.
Albi sed hæc ripis crudelis humanda reponas,
Ni tibi fortè parum est mersa dedisse neci.
Me quoq; jàm bibulæ cumulus texisset arenæ,
Vel raperer muto lusus & esca gregi.
Pallida limosis vel fluctibus ora natarent,
Aonidum puro fonte rigata mihi.
Turbine ni medio præsens DEVS ipse fuisset,
Meq; procellosis eripuisset aquis.
Tùm miser heu primo vitæ sub flore perissem,
Dum mihi jucundo tempora vere fluunt.

Fructus

Fructus & à doctis superataq; gaudia Musis,
Fluctibus heu rapidis obruta cuncta forent.
Tùnc mihi tot noctes, tot & imperfecta jacerent
Carmina, jam nullo nota futura die.
Non flos ætatis, non ardua gloria Phœbi,
Flectere nec Lacheſin carmine Muſa poteſt.
Sed DEVS arbitrium Parcarum & mortis avaræ
Frangit, & ipſe loco fata ſevera movet.
Forſàn at hoc potui melius diſcedere in ævo,
Dùm creſcunt numeris triſtia quæq; ſuis.
Nec mihi paupertas multis onerosa poëtis,
Nec metuenda mihi curva ſenecta foret:
Attamèn eſt vitæ jucundum lumen & uſus,
Et juvenis cauſam vivere ut optet habet.
Notior ut DEVS & rerum doctrina ſacrarum
Fiat, & ut poßis utilis eſſe diu.
Fama necis noſtræ patriam diſperſa per urbem,
Iam fuit in multos credita certa dies.
Intrantem puppim quia viderat unus & alter,
Obruta cum ſociis quæ modò nabat aquâ.
Iàm lachrymas dederat, tumulumq; parârat inanem,
Pectore ſincero ſi quis amicus erat.
Nam mihi nec mater, nec erat ſoror ulla ſuperſtes,
Et fratrem procul hinc æquora vaſta tenent.
Inq; meum funus meditati carmina vates
Iurgia cum Parcis inſtituêre pii.
Iàm nova dicebant convicia fortiter Albi,
Inſidias potuit qui poſuiſſe mihi.

Argui-

Arguerant alii temeraria facta, quod isto
Albidos haud timui flumina cœca die.
Interitum, fateor, mihi tunc mors struxit acerbum:
Auxiliaturum nescit illa DEVM.
Iam nigra feralí stabat Libitina pharetro,
Filaq; Parcarum jàm tremuére colo.
Ecce DEVS sævæ necis intentata repellit
Spicula, jàm mersum liberat ecce DEVS.
Tu DEVS è comitum numero de puppe vocabas,
Naufraga quæ motis protinus hæsit aquis.
Tu DEVS in rapidis præstò mitissime ventis
Fluminis & validâ mole ruentis eras.
Tu DEVS arcebas fluctusq; Notumq; procacem,
Qui ruit in nostram qui comitumq; necem.
Bis fuerant undæ jàm fata suprema minatæ,
Erepta est uno bis mea vita die.
Tu comes astabas lateri, tu clarus amico
Lumine, tu Pollux tu mihi Castor eras.
Nec tibi virgo parens affingimus ora Dianæ,
Nec te de cœlo mittere velle facem.
Immenso rutilam quæ præbeat æquore lucem,
Monstret & obscurâ per mare nocte viam.
Nìl mihi vobiscum est vitreis vos Najades undis,
Et si quos fingunt æquoris esse DEOS.
Nec mihi Tritonem pelago persuaserit ullus,
Aut conchâ aut raptâ personuisse tubâ.
Impia vel sunt hæc, & nomina ficta Deorum,
Vel sine vi, tantùm quæritur hisce decor.

Multa

Multa licet priscæ veniant ab origine linguæ,
Quæ benè fert pietas, si malus usus abest.
Error enim claram sic Pallada fecit Athenis,
Quæ fertur summi vertice nata Jovis.
Sol idem & cytharæ præses celebratur Apollo,
Convenit hoc Nato nomen opusq; DEI.
Quis Iovis æterni nomen neget esse Iehovæ?
Quod sonat Ebræo lingua sacrata sono.
Omnia quæ mutans tenebris immersa vetustas
Transtulit ad falsos nomina resq; DEOS.
Nullus at est Triton pelago, non flumine Najas,
Non Pan in sylvis, nulla per arva Ceres.
Est DEVS à sese, Pan omnia condita servans,
Munus hic in pingui dat cereale solo.
Per maris hic tractus, per flumina rector habenas,
Per nemora & montes, arvaq; lata gerit.
Si quis at humanis oculis sese obtulit olim,
Vel Triton, glauci forma vel ulla DEI.
Hos, furias, genioſq; malos, & Dæmonas atros
Credite, quos stygiâ mittit Avernus aquâ.
Hi genus hoc nostrum prisci serpentis ab astu
Infestant, trepidos incutiuntq; metus.
Illectas variâ ludunt vel imagine mentes,
Sæpè quibus clades exitiumq; parant.
Credibile est etiam sylvis lacubusq; remotis,
Aut fluviis certas incoluisse domos:
Quærere vel salebras, madidosq; uligine campos,
Quæq; paludosis arva cavantur aquis.

Quà

Quà velut in ſpeculâ latitant, artesq; nocendi
Exquirunt vigiles, deſpiciuntq; modos.
Vidi ego præcipiti manant quà flumina curſu,
Et vada nota locis, & loca nota vadis.
Quà tacitis Orci niger arbiter excubat antris,
Vt trahat in naſſas corpora merſa ſuas.
Vix abit hìc ullus ſpaciis currentibus annus,
Quin linquant animas unus & alter aquis.
Sæpè malus tenuit deſertas ſpiritus arces,
Inq; ruinoſis aſpera ſaxa jugis.
Quis neſcit fatuas per aquas colludere flammas?
Quandò tenebroſum contegit umbra ſolum.
Ignibus eſt quoties ſeductus nocte viator!
Venturæ quoties ſigna fuére necis!
Dæmonis hoc opus eſt, terrâ qui ſemper & undis,
Inſidias nobis fraude latente ſtruit.
Ah miſer eſt, quisquis coluit ludibria Ditis;
Perfidiæ ac hoſti nullus habendus honor.
At DEVS eſt trifido qui concutit æquora ſceptro,
Et volitans levibus verrit operta rotis.
Arduus hic motum torquet per lata tridentem
Æquora, cui triplici ſubdita regna jugo.
Cùm volet, emittit rapidos è carcere ventos,
Cùm volet, & vinclis frenat & ore domat.
Eſt DEVS inversâ fluvios qui largius urnâ
Ire facit, retrò qui ſimul ire facit.
Fontibus hic rivos & dulcia flumina rivis,
Æquora fluminibus creſcere ſalſa jubet.

Qui simul è nihilo terræ cùm fecerat orbem,
Fecit & immensi cærula stagna maris.
Mille simul fluvios pelagus deduxit in altum,
Non hi deficiunt, semper at illud eget.
Protulit hic Ponto Delphinem & maxima Cete,
Squamigero parvas pisce beavit aquas.
Hic cohibet vitreos ripis viridantibus amnes,
Hic latè liquidos claudit ut orbe lacus.
Hic freta littoribus frenat spumantia curvis,
Inq; recedentes cogit abire sinus.
Est DEVS undarum regnator, & arcet habenis
Præcipitem Borean imbriferumq; Notum,
Æthere delapsis hic obruit imbribus orbem,
Tecta tamèn mediis imbribus arca fuit.
Duxit Erythræum Mosen populumq; per æquor,
Insolitas tentant cùm sine puppe vias.
Mergitur oppositis tum rexq; cohorsq; fluentis
Et natitant currus signaq; picta salo.
Maximus arenti Jordanes constitit alveo,
Per muscosa viris & dedit antra viam.
Interitum Jonæ pelagus socijq; parabant,
Pronus & in tumidas præcipitatur aquas.
Mox capit immani projectum corpore Pristix,
Mitis & expositum bellua reddit humo.
Inter aquas Christi comites ventosq; tremebant,
Voce sed hic ventos, voce repressit aquas.
Petrus ùt in liquidis audax subsederat undis,
Porrectâ veluti tollitur amne manu.

Tempestas

Tempestas etiàm jactaverat horrida Paulum,
Hærentem & tabulis, nox, mare, ventus agunt.
Cum Christi manibus præsenti ex morte receptum
Securo Melite suscipit hospitio.
Quidquid at hìc geritur terris & quidquid in undis,
Novit id inspector summus ubiq; DEVS.
Nec magis unda maris nobis quàm terra timenda est,
Si sit ab officio res aliena tuo.
Sæpè aliquis formidat aquas ventosq; sonantes,
Qui mox in siccâ stat moriturus humo.
Non mea me pietas juvenem neq; cognita virtus,
Sed tua me bonitas texit in amne DEVS.
Forsàn & utilius terris supereſſe, magisq;
Ex sociis aliquis vivere dignus erat.
Arbiter at vitæ DEVS hæc sibi jura reservat,
Cùm placet, hanc donat: cum placet, ille rapit.
Prorogat & minuit, cùm vult, mortalibus ævum,
Ferrea nec possunt cogere fata DEVM.
Illius æterno sub numine vita tenetur,
Seu concessa diu, seu citò rapta fuit.
Omnibus est dubii præfixus terminus ævi:
Quem licuit nullo transiliisse modo.
Navis ut à scopulo, saxo retinetur aratrum,
Hæsitat ad metam sic quoq; vita suam.
Sed DEVS æthereos cœli regione ministros
Addidit, ut vigiles corpora nostra tegant.
His pater excubiis vitam munivit, & adstat
Ex his cuiq; suus, si modò vita pia est.

Hi puri vigiles, puri sunt ætheris orti
Sedibus, hospitij puraq; tecta petunt.
Quos abigit tetrum nostro de corpore crimen,
Fumus ut Hyblæas excutit ater apes.
Chaonias etiam fimus ut nidore columbas,
Expellit sanctum sic quoq; culpa gregem.
Hi comites volitant nobis per flumen & ignem,
Per nemus ac avidis horrida lustra feris.
Ad rapidum invasit juvenem cùm bellua Tigrim,
Consilium Raphaël datq;, juvatq;, comes.
Mille levant hominum casus, obstantq; futuris:
Et nemo expertus non fuit ipse suos.
Non referam, tenero pueri servata sub ævo
Quàm mihi mirandis sit mea vita modis.
Sed meminisse juvat: cum Leucoris alma petita est,
Ter modò sex anni quandò fuêre mihi.
Fortè viâ fessos tecto nos excipit hospes,
Sunt ubi Marchiaco ditia rura solo.
Iàm Sol mersus erat: dabat alta cubilia fœnum,
Ad siccas scalæ jam patet usus opes.
Scandimus ad stratum, sed ego dum tollere scalam
Enitor, comitum qui minor unus eram:
Infelix tigno tenebris delabor obortis,
Et durâ jaceo corpore pronus humo.
Desilit è fœno Mollerus & erigit ægrum,
Persuadens vitreas sumere fontis aquas.
Qui reliquos inter celebri jàm nomine fratres,
Mollerus divæ Palladis arte viget:

Quas,

Quas, Henrice, tibi solvam pro munere grates?
Ni majora licet, semper amicus ero.
Cursibus hic cœptis quanquam invidus arcuit Orci
Princeps est nutu res tamen acta DEI.
Hinc jam post aliquot proficisci cogimur annos,
Quà Vesarî jungit Fulda vadosus aquas.
Non procul abfueram Mundâ, non Principis arce
Quà strepit Herciniis sylva fragosa jugis.
Hic ubi Pæonias tractare Mithobius artes,
Iam dare consilium principibusq; solet.
Vesper erat, subitiq; casam quæ sola jacebat,
Sedit & ad veteres ebria turba cados.
Hem propè vicino domus est, ait unus, in agro,
Hic diverticlum lene viator habet.
Egredior villâ, sequitur mox solus euntem,
Sum comes hàc, cùm sis tu quoq; solus, ait.
Densus erat saltus cædes hic narrat atroces,
Terruit ac animum fraude minisq; meum.
Cautior hic solito, comitem præcedere jussi,
Et tenui ad promtas arma parata manus.
Sub tenebris tandem nemus hoc evasimus atris,
Tangimus & celeri rustica tecta pede.
Excipior, posuêre dapes, accedit ad ipsas
Et comes, ac cœnat, seq; manere refert.
Me, cernens hominis faciem observare molesti,
Sevocat à sumto fida puella cibo.
Suspectumq; refert & eum monet esse cavendum,
Atq; dolis plenas insidiisq; vias.

Separat hunc lecto, mihi sola cubilia monstrat:
Jamq; revecta dies, jamq; homo raptus abit.
His sed pro meritis te mitia fata gubernent,
Dentq; tibi placitum, virgo decora, virum.
Hinc vocor in sylvas rursus, quà fronde sub altâ
Glandibus & foliis strata recumbit humus.
Diversâq; viâ Mundæ jam mœnia tangens,
Limina præclari viso petita senis.
Protinus Helvetiis hìc finibus Hectora vidi,
Qui rediit patrios ad sua tecta lares.
Hunc medicos campos, Sophiæq; Mithobius hortos
Lustrasse, Italiæ gaudet & arva pater.
Quid referam cœci vitatos vulneris ictus,
Cum fuerat medio rixa coorta thoro?
Quandò tenens binos manibus ruit impete cultros
Saxo ferox, ambos quas rapit una manus.
Nox erat, at signum monstratur inane furoris,
Vtraq; secreto lamina tracta loco est.
Numine gesta DEI res est, hic qualibet horâ
In terris proprium servat amatq; genus.
Gratia summe tibi pater: & tibi Christe, potestas
Qui patris: & Flatus par utriusq;, tibi.
Munere nunc vestro medio servatus in amni,
Semper ego versu numina tanta canam.
Interitum fugi, cùm primâ nave relictâ
Vallibus ingredior littoribusq; viam.
Albiaco celerem pressi cùm flumine lembum,
Tu facis, ut non sim turbine mersus aquis.

Evaden

Evadens geminum sic unâ luce periclum
In terrâ grates nùnc tibi liber ago.
Christe DEI fili, si visum est addere vitæ,
Adde quibus vivam jam tibi lustra, meæ.
Nàm benè si memini jam lustra ego quinq; peregi,
Addita si numero jàm trieteris erit.
Iàm te natalemq; tuum, præsepia, cunas,
Et stabulum, & cannis aspera tecta canam.
Namq; dies properâ nùnc luce brevissimus exit,
Quo peperit Dominum virgo pudica suum.
Hac te luce DEVS, magniq; binominis infans,
Nempè hominem referam versibus, atq; DEVM.
Da simul Halcyonum placidos mitescere soles,
Quæ levibus pennis æquora strata premunt.
Quæ calidi plumis jam corporis ova fovebant,
Nùnc & alunt pullos, nec sine voce regunt.
Sit licet Australem penitus semotus ad axem,
Splendida dùm Capri Cynthius ora subit.
Attamèn aspectat vicinior æthere terram,
Quàm si per Cancri sydera celsus eat.
Non aliter nostros, quamvis procul esse videtur,
In thalamos intrat Christus, & acta regit.
Alme DEVS faveas, ità sæva pericula nobis
Nec metuenda solo, nec metuenda salo.

In nuptias
M. GEORGII TRAIECTINI & Marthæ Prætoriæ.
Elegia X.

DVm modò cum pulcra socialem virgine lectum,
Sponse, paras sancto scandere jure tori:
Iam recoles mecum, placidos quòd curet amantes,
Providus & quantò servet amore DEVS.
Est mihi dictus Adam, mihi dicta jugalia versu
Sunt sacra, quæ sancti sic coluére patres.
Nunc socium juvet hinc sacrum celebrare, Georgi,
Hoc quoq; servarit qua ratione Deus.
Tu Trajectino genitus patre, Cranzia mater
Cara fuit, sunt hæc corpora juncta toro.
Ergo Deo parili tu niteris auspice gressu,
Sic pius est genitor, sic pia mater erat.
Abdita villa jacet frondosis Qualia sylvis,
Non procul à muris, cœrule Trave, tuis.
Hic thalamum virgo juvenisq; subire parabant;
Venit honorato luxq; dicata toro.
Miserat huc Iuvenes, pulcrasq; Lubeca puellas,
Cum nuribusq; senes cum senibusq; nurus.
Hi peragunt læti vario convivia plausu,
Ad cœlum voces, flamma sub astra volat.
Sevocat at vesper servus cum virgine sponsum,
Accipit ornatus corpora bina torus.

Turba

Turba sub agresti salit & canit ebria tecto,
Posthabito quod nox intulit alta malo.
Ecce statim tacitas quæ motibus incita vires,
Exilit è cœpto lucida flamma rogo.
Et calamis levibus jam tecta rigentia stabant,
Vimen erat paries, mox simul ignis erant.
Nec sensêre prius flammas superare voraces,
Quam cecidit mediâ nocte repentè domus.
Pars trabibus premitur, pars tunditur obvia fumo,
Clausas nequicquàm pars tetigitq; fores.
Sola tenens sponsum violentos senserat ignes
Flagrantes penitus carpere sponsa lares.
Exiliunt lecto; cincta est sed janua flammis,
Quæ tantùm patuit una fenestra fuit.
Hac nudi evadunt; facibus, levibusq; favillis,
Atq; domum, atq; suos interyisse vident.
Iamq; viri centum, deciesq; micantibus octo
Ignibus, & fumo, quæq; ea cuncta, cinis.
Tanta fuit clades: vix ante hàc Qualia Travæ
Nota fuit, sed tunc, heu mihi, nota nimis.
Clarus in historiis hæc Crantzius acta recenset,
Resq; fuit seclo digna priore legi.
Præterito matri florebat avunculus ævo
Crantzius ingenio, Crantzius arte potens.
Hic virtute sua generi spes præbuit amplas,
Magnaq; tum generis fama sequuta fuit.
Tu Sophiæ jungis doctæ decus artis honestum,
Et mores tinctos integritate geris.

Qui studiis prodes simul exemplisq; juventæ,
Et juvat ingenuâ ponere in arte dies.
Vt viridi Clytie pulcerrima floret in horto,
Et fertur juvenis pollice carpta manu:
Virgo sic vegetâ quæ florida Martha *juventâ,*
Promissâ juvenis crescit amata fide.
Martha *bono præstans ornatu candida morum,*
Et formæ, hæc si quid laudis habere potest:
Facundiq; soni: sed jam benè labitur hora,
Adproperat vesper jam face prodit Hymen.
Castus adest vosq; unit amor geniusq; decorus:
Sit thalamus concors, sit sine lite domus!
Successus dedit ut placidos cum virgine sponso,
Sic tibi cum sponsâ det bona fata DEVS.
Tu simul auctus eras rerum bonitate Georgi,
Hìc etiam voto tu simul auctus eris.

In nuptias
Dn. SEBASTIANI à BERGEN, J. U. L. & Gertrudis Möllers.

Elegia XI.

MOs fuerat, sponso sacram cùm vênit ad aram
Per generis fidas tradita virgo manus:
Lætus ut acciperet placitæ consortia sponsæ,
Iuraq; pollicitus legitimamq; fidem.

His

Hìc ſacer adductum te commonet uſus, ut aræ
Virgine cum caſta limina ſancta petas:
Qui ſimul interpres legum jurisq; ſacrati es,
Et ſimul Aonidum, clare Sebaſte, decus:
Accipis hanc gaudens in jura fidemq; puellam,
Hæc comes ut vitæ lecta ſit una tuæ:
Pulchraq; reſpondet caſto Gertrudis amori,
Gertrudemq; ſuo nomine req; parit.
Ver tepet, & viridis Philomela ſub arboris umbrâ,
Crudelem repetens Terea, deflet Ityn.
Splendet adhuc puri facies nitidiſſima cœli,
Et ſol Tyndaridûm lumina clara tenet.
Cùm ſacra dexter Amor thalami genialia curet,
Atq; puer tedas geſtet Amoris Hymen:
Dulcis ut in ſylvis ſociâ cum compare turtur
Aut volat, aut pariter fronde virente ſedet:
Sic duces pariter ſociâ cum conjuge greſſus,
Dulcis & aſpectus, ſermoq; gratus erit.
Nuptaq; ſervabit thalamumq; laremq; verendum,
Vt ſervat propriam ſedula concha domum.
Candida purpureas in palmite vitis ut uvas
Suave relucentes collibus alta refert:
Sic tua Gertrudis thalami tibi pignora natos,
Mente recludentes dona diſerta, feret.
Explicat in campis pingues ut oliva racemos,
Pectora quæ foveat laſſaq; membra levet.
Sic tibi ſermonis recreet dulcedine mentem,
Quæ mentem ſoboles circuitumq; tegat.

Sic

Sic agitent ævum Iuvenes pia corda gerentes,
In terris summum qui coluere Deum.
Hæc tibi sponse dabam sub amicæ tempora tedæ:
Exiguum magni pignus amoris habe.

HENNINGI CVNRADINI, P. L.

Elegiarum lib. II.

PARÆNESIS THEOLOGICA,

De gubernandis vitæ actionibus.

Elegia I.

VT fragili cymba littus qui radit amœnum,
Sæpè putat longè littus abire fugâ,
At fixum se stare loco; nec carbasa vento,
Neu cymbam valido sentit ab amne rapi:
Mox simul illidens saxo ratis hæret acuto,
Aut avidè cæco gurgite sorpta perit:
Sic pelago vasti qui sese credidit orbis,
Aversum longè credit abire DEVM.
Nec velut insano ferri sibi turbine mentem,
Nec furiis intùs pectora sentit agi.
Surdior est pelago, dans velaq; libera ventis
Successu proprij gaudet ovatq; mali.

Securusq;

Securusq; DEVM post terga, volensq; relinquit,
Æquoreas donec naufragus intret aquas.
Sana quidem ratio, rectrix sedet alta carinæ,
Quæ secat infidas per vada cæca vias.
Sola potest tamen illa nihil, quæ nempè trementi
Grande gubernaclum sustinet ægra manu.
Si non ætherius sanctis se viribus addat
Spiritus, at fœdâ labe repulsus eat.
Ah miser, è cordis talem statione Magistrum
Qui fugat, interitus causa caputq; sui.
Tunc laxata ruit, ceu turbine rapta voluntas,
Sævior & Boreâ, mobiliorq; freto.
Fluctuat huc illuc vitij cor mole gravatum
Et veluti nimiùm puppis onusta gemit:
Affectus tumidas referunt fervore procellas,
Quæq; ruunt validi flabra sonora Noti.
Immensùm pelagus vitam mundumq; figurat,
Quo Venus & fastus, regna, dolusq; tenent.
Dux Stygis est pelago latitans blandissima Siren,
Nec syrinx edat suavius ulla melos.
Sunt vina & lusus, scopuli, Maleæq; sequaces,
Sunt mediis syrtes, Scylla, Charybdis, aquæ.
Sic maris abrepti pereunt in vertice torto
Quos agit ambitio, fœda libido, furor.
Oppressit pelago Nemesis Pharaona tumentem,
Ammon & incestus fratris ab ense cadit.
Indulgens nimiùm sic quem corruperat Eli
Concidit interitu natus uterq; pari;

Nempe

Nempe gulam fuerant, venerem, fraudesq; secuti,
Certum luxuries ad stygа pandit iter.
Christe precor tumidi nos fluctibus eripe ponti,
Quo minus incautos ventus & unda ferant.
Tu rege nos illo, trepidum qui rexit Ionam,
Et laceræ, flatu, dirige navis iter.
Nam petit hìc ratio sancti spiraminis auram,
Illustret radiis quæ pia corda suis.
Mentibus hic nostris virtutum semina flatus
Suscitet; hoc cordis ferveat igne calor.
Des precor infaustos certatìm flectere cursus:
Versaq; felici flamine vela regas.
Da geminas pariter lucere per æquora flammas,
Non quas dant fratres, ille vel ille polo.
Nocte vel obscura quas fingitur edere nautis
Virgo veliferi credita stella maris:
Sed resides animos lex instruat ardua patris,
Luxq; Evangelii fulgeat alma tui!
Hæc jubar extollant medio duo lumina ponto
Quæ ferat ex altâ prævia rupe Sion.
Hæc læti sequimur, tu Christe sequentibus adsis,
Per te stet placidis anchora fixa vadis.
Tu solus miseris, sacrâ qui claudimur Argo,
Aura favens nunc es, portus amœnus eris.

In nuptias
HERMANNI RODENBURGII, & Annæ Reineken.
Elegia II.

SI Christus sociæ curavit vincula tedæ,
Et tangunt magnum fœdera casta DEVM.
Mollis odoratos Elegeia necte capillos,
Hoc dicenda tibi sunt bona verba die.
Lætitiæ cultum socialibus indue sacris,
Impediant nitidum myrtea serta caput.
Fundat & Idalios vestis tenuissima flores,
Est quota jam versus pars Erycina tui.
Ante novum stabis Sponsum, veniâq; petitâ
Iucundo referes gaudia multa sono.
Non nocet hoc formæ quòd pes tibi longior alter,
Sed nimis hoc falsum tempore nomen habes.
Es tamen in lætis exercita plurima rebus,
Non alio blandus carmine ludit Amor.
Si placitura viro, teneræ placitura puellæ
Mens cecinisse tibi est, nomen obesse nequit.
Festivos igitur (quid enim vetat?) incipe cantus,
Nec vitium cures dissimulare pedis.
Hærebit lateri felicia gaudia portans,
Pulchraq; legitimus corpora junget Hymen.

Hic

Hic bona conjugij præmittit signa futuri,
Fertq; maritales luce micante faces.
Nam super Oceanum veniens Tithonia Conjunx
Flava serenato protulit axe diem:
Quod juveni castam nova ducitur uxor ad aram
Scilicet Hermanno nubilis Anna suo.
Hoc erat ô Cynthi quod vidi manè vehentem
Luce coruscantes splendidiore rotas.
Sylva comis etjam revirescit, floribus horti,
Quos rapido nuper læserat igne Canis.
Fronde domum viridi præcingite, spargite flores,
Spargite, dant munus prata nemusq; suum.
Tectaq; magnifico velentur splendida cultu,
Quà gressum sponsus sponsaq; pulchra ferat.
Felix, Sponse, tuam jungi tibi contigit Annam,
Non poteras fato prosperiore frui.
Felix, Sponsa, tuus tibi contigit ignis amatus,
Spes tua certa fuit, qui tibi vir sit habes.
Gaudia lætanti capiatis pectore, fata
Mollia enim flammæ sensit uterq; suæ.
Quamvis læsus eras Hermanne Cupidinis arcu,
Certa tamen læso jam medicina venit.
Diva vehebatur junctis Cytherèia cycnis,
Quà loca dux amplæ sedis Adolphus habet.
Aliger est matrem jaculis pharetraq; sequutus,
Vtq; solet, prædam quærit in orbe puer.
Aspicit hic juvenem pulchrum formaq; decenti,
Qui nondum teneræ noverat arma manus.

At

At sine fœmineis peragebat amoribus annos,
Magnus & ingenuâ Pallados arte puer.
Florentis Phœbo Phœbiq; sororibus ævi
Tempora, non curâ sollicitante, dabat.
Sæpè fatigatam mulsit dulcedine mentem,
Aoniâ resonans carmina blanda chely.
Blanditias Veneris pueri quoq; spreverat arcum,
Non habet adverso pectore flamma locum.
Hunc simulàc vidit, formam miratus & annos,
Substitit, & matri talia verba facit:
An feret ille suam nostro sine munere vitam?
An manus infirma est & nihil arma valent?
Aptus erit nobis; facie quoq; vincit Adonim,
Et tibi præcipuè charus Adonis erat.
Cui Venus arridens, tua languet dextra Cupido?
Sensit & ipse tamen spicula Phœbus, ait.
Passus & est vinci, scit cur sibi laurus ametur,
Non lyra tunc ipsi non tulit arcus opem.
Phœbi tutus erit cultor? tua dirige tantùm
Tela, dabit victas ad tua tela manus.
Iamq; levem jussu matris sinuaverat arcum
Et puer Hermannum *figere promtus erat.*
Vulnus habe, dixit, si quà potes effuge telum,
Ac tibi opem pro me cultus Apollo ferat.
Ista modos numerosq; alios lyra discet, & Annam
Incipies tenui succinuisse sono.
Dixit, at amplectens formosum Cyprja natum
Ire Therapnæas sub juga cogit aves.

Regna pharetrati qui despiciebat Amoris,
Pura colens Phœbi sacra Deasq; novem:
Molle Cupidineâ cor sensit arundine tangi
Protinus, & pueri castra sequutus, amat.
Ossa calor penetrat, flammæ subiere medullas,
Spiculaq; effectu non caruére suo.
Vritur ut stipulæ tenues superante favillâ,
Pinguis ut adjecto sulphure tæda solet.
Sæpius attenuat testudine pectoris æstus,
Sed tamen accensi pectoris æstus adest.
Sumere sæpe chelyn prohibet qui vulnera fecit,
Et chordis habiles applicuisse manus.
Cogitat immissis lenimina quærere flammis,
Atq; aliquam sociâ jungere lege sibi.
Cum quâ vernantes castis in amoribus annos
Transigat, & curis libera corda gerat.
Nec mora longa, tori divino munere consors
Additur: & superis hic solet esse labor.
Eveniisse putet dubio quis talia casu?
Dii quod ames monstrant associesq; tibi.
Anna erat insigni formâ vultuq; modesto,
Et reliquas superans moribus Anna suis.
Hæc quoq; concessis feliciter ignibus ardet,
Et nova sollicito pectore cura sedet.
Conveniunt ambo, propriosq; fatentur amores,
Tum prior Hermannus vulnera fassus, ait:
Sola places virgo sine te mihi vivere nunquam
Dulce erit, ô thalamo debita nupta meo!

Spiritus

Spiritus hic, & quæ fuerit mihi vita superstes
Illa tibi semper vita superstes erit,
Ante ferat cœlum fruges, & lucida tellus
Astra, colent pisces aëra, flumen aves.
In caput errantem revocabit ab æquore cursum
Albis, & adversus non erit ignis aquæ,
Quàm ferar Anna *novam tibi præposuisse maritam,*
Et solam in viduo deseruisse toro.
Illa fidem dictis adhibet, propiusq; ligantur,
Arctaq; mansurus vincula nectit amor.
Felices animæ quibus hæc sunt fœdera curæ,
Fataq; successus dant in amore bonos.
Credibile est illis impuri gaudia lecti,
Crimen & incestæ displicuisse facis.
Agnovêre DEVM, liciti qui fœderis author,
Instituit castum castus & ipse torum.
Vana Sacerdotum nec opinio movit, in antris
More cuculligeri delituisse gregis.
His soboles mensam cingens, velut arbor olivæ
Lætaq; diffundens brachia vitis, erit.
Sic crescit mundus, non ut quis vivere malit
Solus, & occulto carcere clausus agat.
Vos quoq; legitimi jungetis fœdera lecti,
Propositumq; nihil quod remoretur erit.
Tempus adest, unà subeuntes limina templi
Quo sacra perpetuâ sanciat ara fide.
Stant & adorantes alti pia numina cœli,
Concipiunt Sponsus sponsaq; casta preces.

Vt sibi cuncta DEO feliciter auspice cedant,
Ac veniant socio fata secunda toro.
Vt quorum est author DEVS, hæc quoq; vincula firmet,
Et duraturo jungat amore duos.
Talia uterq; rogant, & plura, rogantibus aures
Applicuit; castæ proficiuntq; preces.
Nam castæ DEVS est purissima mentis origo,
Votaq; nulla DEVM sint nisi casta movent.
Vt castum jubet esse torum, sic approbat illum,
Fœderis & curam connubialis agit.
Bacchica dat CHRISTVS Galilæo munera Sponso,
Et positas dulci nectare mutat aquas.
Misit ab ætherea quondam DEVS arce ministrum,
Cujus Tobiæ contigit uxor ope.
Ille dedit puero capti medicamina piscis,
Sollicitæq; fuit duxq; comesq; viæ.
Ah miser incerto quicunq; vagaris amore!
Si nescis, licitas vult DEVS esse faces.
Quis dubitet sociâ cum conjuge vivere lecti?
Istius annè DEVS fœderis autor erat?
Cum superasq; domos, & adhuc quo vivimus orbem
Fecerat, hæc illi proxima cura fuit.
Ver erat & læto ridebant omnia vultu,
Quodq; nihil fuerat, jam tener orbis erat.
Sydera tunc primùm sunt visa recentia cœlo,
Non Phœbe fatris fülserat igne diu.
Et sapiens potuit DEVS hæc feciſſe videri,
Facta est sylvæ feris, piscibus unda domus.

Arboreis

Arboreis volucres modulantur carmina ramis,
Fronde nemus, viridis cespite terra novo est.
Quemq; operi cultoq; DEVS præfecerat horto,
Ipse suæ partem mentis habere dedit.
Tum Dominus costam sopito demit Adamo,
Costaq; de numero dempta, fit Eva statim.
Somnus abit, faciem formosæ conspicit Evæ,
Protinus, hæc nostræ est portio carnis, ait.
Hinc novus augetur fœcundo semine mundus,
Tela nec indomitus mittere cessat amor.
Hic tua Sponse subit celebratæ gloria famæ,
Quòd tua Palladiâ nomina in arte vigent.
Quòd ducibus tua sæpe fides, tua cognita virtus,
Quod tibi facundæ gratia vocis inest.
Et cytharam Clarius donâvit Apollo canoram,
Quâ velut Ismario carmine saxa trahis.
Quòd pater Hamburgæ Consul celeberrimus urbis,
Et quòd avus magno charus honore fuit.
Nec me, Sponsa, tuæ fugiunt præconia laudis
Quod fuit hac etiam Consul in urbe parens.
At me de sacris monet una sororibus, ut non
Imparibus tentem perficere illa modis.
Non tenues elegi poterunt bene talia ferre
Pondera, at heroi res erat illa pedis.
Hesperus interea noctis prænuncius exit:
Ludite, jàm poscit gaudia blanda torus.
Mensibus exactis fiat de Virgine mater,
In tenero ludat filiolusq; sinu.

Vivite concordes, dent mollia fata juventam,
Perpetuam nuptæ perpetuamq; viro.
Expectatus adest, vultu venit ecce nitenti
Hesperus, & clausa est janua, Musa tace.

AD FILIOLOS ADOLPHI A VOLMA,

In natalem Pueri Jesu.

Elegia III.

VEsper adest, pueri, noctemq; reducit Olympo,
Qua peperit Puerum Virgo pudica Deum.
Occulit Hesperiis sua Cynthius ora sub undis.
Nox & ab umbriferis montibus atra cadit:
Quam cupit, & toto gaudens puer expetit anno,
Sollicitè lapsos dinumeratq; dies.
Ergò refer gratam, refer ocyùs Hespere noctem,
Lux tua cæruleo provocet astra polo.
Nox venit, & terram fuscis amplectitur alis,
Candida dux etiam Cynthia noctis adest.
Ite boni pueri, teneræ simul ite puellæ,
Sacra Redemptori sunt peragenda Deo.
Hanc prece, quàm longa est, & dulci carmine noctem
Condere, nec finem lux ferat orta, decet.
His tua jam sacris proles operetur, Adolphe,
Cui fluit Attiacis lingua diserta favis.

Janus,

Janus, & arguti formosus Adolphulus oris,
Vtraq; cum Paulo fratre venite soror.
Ponite quisq; sibi patulas ex ordine lances,
Dum sacra natalis tempora noctis eunt.
Namq; Puer mediam transit sanctissimus urbem,
Estq; pios hominum visere cura lares.
Cœlicus auratis juxtà chorus advolat alis,
Ducitur à niveis currus onustus equis.
Aureus est temo, micat aureus ordo rotarum,
Aurea dona ferens, aureus axis inest.
Serica Chrysolitis & Jaspide fræna coruscant,
Gemmeaq; alipedum purpura terga premit.
Prævius illustri simul Hesperus ore relucet,
Aspersuntq; suas astra minora faces.
Hic sedet in medio sellâ Puer altus eburnâ,
Coccineamq; gerit dextra tenella crucem.
Defluit albenti mollissima sindone vestis,
Et tegit aligeros candida palla choros.
Prævolat hic currum, nitidas hic tractat habenas,
Pars rutilo stratam murice velat humum.
Pars locat infantûm parvis munuscula cunis,
Vixdùm voce sonant qui titubante patrem.
Pullulat invalidi quibus & jam flosculus ævi,
Quiq; Dei curam, quiq; parentis habent.
Pura quibus mens est, & nescia criminis ætas,
Nec sunt degeneris cognita facta patris.
Casta placent superis, castus Puer ipse, Paterq;,
Et tantæ sobolis casta puella parens.

Sed veras pueri nunc mecum discite causas,
Cur sacer hic vestro dignus honore Puer.
Balba Deum celebrent lactentibus ora labellis,
In laudes aperit quæ Deus ipse suas.
Huc genibus flexis sanctam veniamus ad aram,
Et pariter junctas tollite ad astra manus.
Corda manusq; simul: Deus aspicit omnia præsens,
Largus & æterni muneris autor adest.
Non hic poma, nuces, mellitaq; liba quotannis,
Expositâ tantùm pendere lance solet:
Sed capit exili puerorum munere corda,
Vt majora simul munera nosse queant.
Hanc habuit causam ritus puerilis origo,
Tunc, ùt adhuc simplex & pius orbis erat.
Hic paulùm te Musa leves, licèt impare pennâ,
Fer tamen ad cunas carmina pauca Dei.
At, quid ab æthereâ nitidum jubar arce refulsit?
Quidvè repercussâ luce fenestra micat?
Numen adest, strepuêre rotæ, strepuêre quadrigæ,
Et resonant citharæ carmina, Numen adest.
Nòsco Deum, cœli rutilis exercitus alis
Accinit, & ducunt sidera pura choros.
Vidit & in campis hæc pastor Ephratidos oræ,
Quà modicos Bethle-regia spectat agros.
Huc & Iosephus faciebat & innuba Virgo
Stemmate Iessæo natus uterq; viam.
Cæsaris Augusti cum publica jussa vocarent,
Dandus & immenso census in orbe fuit.

Sic

Sicerat in fatis, veniens ut lucis in auras
Christus Ephrataeis egrederetur agris.
Nec penitus veteri de stirpe potentis Iudæ,
Rapta Palæstino sceptra fuére solo.
Edæus hic donec castæ Rex ventre puellæ,
Acciperet solij jura paterna sui.
Contigerant priscis habitatam regibus urbem,
Tecta sed hospitibus non satis urbis erant.
Arcta vix hyemis nive tuta vel imbre patebat,
Vimen erat paries, culmen arundo fuit.
Pauperis excepit fessos hîc cultor agelli,
Et subeunt humiles virgo senexq; lares.
Nunc sanctum meditemur opus, procul este profani,
Quisquis ades, castè jam venerare Deum.
Attulit hæc sacrum fausto nox sidere partum,
Et decimo Phœbe desuper orbe micat.
Per terras homines carpunt pecudesq; soporem,
Per sylvas volucres, lustra per alta feræ;
Arva silent latè, fluctus siluére marini,
Aëriis nemorum frondibus aura silet.
Per noctem tremuli scintillant lumina cœli,
Pronaq; jam mediis lapsibus astra cadunt.
Ecce parit virgo mortali corpore natum,
Patre semel genitus qui fuit antè Deo.
Virginis est soboles hæc vera, Deiq; Parentis,
E genitore Deus, virgine natus homo.
Sed licet humani sibi corporis induit artus,
Hoc tamen absq; viri semine corpus habet.

Nam fuit intactæ conceptus virginis aivo,
Auxit ut ætherei flaminis aura sinum.
Hinc quoq; labe caret, carnemq; hominisq; figuram
Ossaq;, non labem de genitrice tulit.
Enitet illæso nivei quoq; flore pudoris,
Vt rosa secreto virgo parensq; toro.
Sicca velut tacto cùm vellere terra manebat,
Vda vel intacto vellere terra fuit.
Salve Virgo parens, te matre, salutifer orbi
Et Puer & superâ venit ab arce Deus.
Qualis se croceis Matuta cubilibus effert,
Aurea sic vultus exerit ora sui:
Mane vel ut pueri referens sol luminis orbem,
Purpureo clarum spargit ab axe diem:
Aut rex è thalami procedens limine sponsus,
Cui venit auratis obvia sponsa comis.
Eia age, sic formose veni, dulcissime Iesu,
Eia age, de cœlo labere, sancte Puer.
Pulcher ab Eois te sponse cubilibus effer,
Ibit & in terris obvia sponsa tibi.
Sponsa tenebroso quæ carcere vincta Tyranni
Expetit adventus tempora læta tui.
Squalida sit quamvis, decus hoc tamen addis amatæ,
Vt nitidi radijs æmula Solis eat.
Vltra hominũ flagrans amat hanc quia sponsus amorem,
Et redimit vitæ prodigus ipse suæ.
Nec terræ quisquam regione, nec ætheris alti,
Vincula qui captæ demere posset, erat.

At sat:

At sate mente Patris, summi Patris unice Fili,
Tu factus supplex, summus & ipse, Patri:
Laberis in terras humiles è sede paternâ,
Vt repares generi pristina jura tuo.
Nam tantas animo Genitor conceperat iras,
Tamq; fuit justi fervida flamma Dei:
Cujus Adam vetito legem violaverat esu,
Vnde rei tota posteritate sumus:
Vt nisi tu mentem placasses Nate paternam,
Labe carens hominum, carne sed ortus homo:
Iam stirps nostra rogis damnata furentis Averni,
Debuit æterna solvere morte nefas.
Sic amor in genus hoc ultrò luctatur, & ardens
Hinc furit in culpam viribus ira suis.
Ardor at in justo quantus Genitore furoris,
In Nato placidi tantus amoris erat.
Vtq; Parens victus cœpit mitescere, Natum
E proprio terris jussit adesse sinu.
Qui mentemq; Patris doceat, partamq; salutem,
Ipse luens obitu crimina nostra suo.
Natus at aspiciens abductos limite cœli,
Nascitur, agnatum restituitq; genus.
Nam quià lapsus homo est, homo nasci debuit, expers
Criminis, irato sufficiensq; Patri.
Qui precium dignè pendat, qui vincula legis
Iusticiâ solvat, supplicium q; ferat.
Non homo sed tantos valuit quià ferre labores,
Ni voret hunc flagrans ignibus ira suis:

Par

Par Deus hos subiens homini sociatur, & in se
Transtulit omnem iram, sustulit omne nefas.
Hic est qui precibus lenit precioq; Parentem,
Morte necem solvens, integritate scelus.
Eluit hic fuso contractam sanguine labem,
Concidit irarum cujus ab imbre calor.
Conterit hic colubrum, viresq; infringit Averni,
Et superat Stygij stagna profunda lacus.
Quà vetus ad limen frustra nunc excubat Anguis,
Eumenidesq; suas occulucre faces.
Hic animas nigro detentas evocat Orco,
Et spolijs cœli culmen onustus adit.
Fortis ut Ægypti Moses regionibus agmen,
Duxit Erythræi per vada rubra freti.
Tùm quoq; justiciam precio sibi sanguinis emtam
Donat, & hâc gratos nos facit esse Patri.
Immittitq; novis spirantem flatibus auram,
Quæ placido vinctas spargat amore faces.
Lætaq; concussæ reddat solatia menti,
Accendens alacri corda novata fide:
Quæ Christi meritis & sanguine nixa rubenti,
Carpit iter cœli, partaq; dona capit.
Tùm similesq; sui motus, Patriq; placentes
Spiritus hic format, lætitiaq; rigat.
Inchoat in terris, mox perfecturus Olympo,
Non cessaturâ gaudia summa die.
Hæc puer ô tecum placidissime munera portas,
Hæc geris imperij jam nova sceptra tui.

Quæ

Quas tibi, quas Patri, quas ſancto utriusq; Vigori,
Incipiam grates reddere, Chriſte Puer?
Qui Deus è cœlo noſtras homo tendis in oras,
Vt recrees ſponſæ languida corda tuæ.
Ros velut aërij veniens è vertice montis,
Sicca perurenti gramina ſole rigat.
Si mihi nunc eſſent in verba diſerta canoræ
Mille hominum linguæ, mille hominumq; ſoni.
Non meriti poſſem tantas evolvere laudes,
Scilicet hic infans munere lingua ſuo eſt.
Non mihi ſufficerent totius ſtamina ſecli,
Nullaq; par tantis copia rebus erit.
Vis tamen agnoſci proprij tu muneris autor,
Vis Puer uſq; coli, vis tua facta cani.
Diſcutis & tenebras animorum lumine verbi,
Ex illo, quantum mens capit ægra, pates.
Qualis Adam celebrans promiſſum pectore Chriſtum,
Erudijt natos, erudijtq; nurus:
Sic grato celebrans jam miſſum pectore Chriſtum
Gens quoq; noſtra colat, præcipiatq; coli.
Lenis at ô, qui das puerorum vocibus aures,
Da quoq; te noſtro jam Puer ore cani.
Orbis opus magnum, ex nihilo quod & antè creaſti,
Vincit at hoc ingens mole ſalutis opus.
Tu ſatus æternæ fulgenti è lumine mentis,
Splendor es æquævi Progenies q; Patris.
Tu decor effulgens ſeſeq; tuentis imago,
Cùm nec aquæ, cùm nec terra, nec aſtra forent.

Tuq;

Tuq; parem summis Genitorem viribus æquas,
Nec minor imperio, nec quoq; laude minor.
Tuq; potens Verbum, telluris & æ heris orbes,
Quo pariter Flatu fecit agente Pater.
Primus & interpres reparatæ pacta salutis
Orbe revelasti, consiliumq; Patris.
Tum Patris è gremio nitidis demissus ab astris,
Virginis ipse subis viscera casta Deus.
Primus & es nostri qui sanguinis autor & orbis,
Sanguinis es nostri factus in orbe Puer.
Sic fragilem miro socians tibi fœdere stirpem,
Esse homo cœpisti, semper at ipse Deus.
Plus loquar, assumtos semel hic non deseris artus,
Sed Deus æternùm tu tibi junctus homo es.
Hîc naturâ stupet, nec mens obsepta tenebris,
Edere consilij pondera tanta potest.
Hîc pueri tantum tenues vix cernimus umbras,
Post dabit hæc pulsâ nocte serena dies.
Tu sine matre Deus, sed homo sine patre, Creator,
Patre satus Deus es, matre creatus homo es.
Has geminas vires, nostros conjungis in usus,
Plenaq; diversæ robora stirpis habes.
Vnus utrâq; tamen, duplex quia lege perenni
Nexibus arcanis stirps sociata, manet.
Sed neq; mixta tamen, neq; commutata vicissim,
Vtraq; sed constans proprietate suâ est.
Igne rubus veluti ramis crepitantibus arsit,
Et tamen illæsus mansit in igne rubus:

Luce

Luce vel ut ſplendet candentis lamina ferri,
Sive coruſcanti fulget in ære nitor.
O favor, æterni mirandaq; vincula nexus,
Ille homini ſtirpem jungit, & ille Deo.
Fœdere tàm ſancto vis fœderis integra conſtat,
Quo polus eſt terræ, terraq; juncta polo.
Hinc patrÿ nobis redeunt commercia cœli,
Et generi noſtro redditur alma ſalus.
Vênit Eliæi nunc tertia carminis ætas,
Progenies alto jam nova miſſa polo eſt.
Ferrea quæ fuerat, toto gens aurea mundo
Surgit, & annorum naſcitur ordo novus.
Dux Puer hic pœnæ ſolvit formidine terras,
Duxq; caputq; hominum, luxq; nitorq; Dei.
Ipſe Parens iras, & Lex ſua fulmina ponit,
Vtraq; nunc obitu, juſticiaq; cadunt.
Eluit & ſordes hæc victima rore cruoris,
Mortis & hinc acies, haſtaq; fracta jacet.
Occidit & ſerpens, & edentis virus Echidnæ,
Et poſtes Erebi, verſaq; tecta ruunt.
Proq; lacu nigro, per avitos limpida campos
Flumina lactis eunt, flumina melliſ eunt.
Pinguia ſylveſtres ſudant ubi balſama rami,
Proq; rubo mitis collibus uva rubet.
Lux nova Iuſticiæ terras nunc orta reviſit,
Et pax, & placidâ gratia fronte venit.
Nunc cœlo terraq; regit, mitiq; capeßit
Cara Dei ſoboles tradita ſceptra manu.

Si qua

Si qua tamen ſuberunt veteris veſtigia culpæ,
Et tingent aliquæ pectora ſancta notæ:
Nata fide pietas ſat erit: dum corpore ſolvens
Has animas, animis ſolverit omne ſcelus.
Cum ſimul æterno perfuſæ lumine mentes,
Ante Deum vitæ ſecla perennis agent.
Forſan erunt etiam victi nova bella Draconis,
Atq; furens imos appetet ore pedes.
Acer at inſiſtens ſubiget fera guttura victor.
Vimq; ſuam ventis lingua triſulca dabit.
Hunc ubi jam patriæ ſtellata receperit aulæ
Regia, vis captæ cedet avara necis.
Sanctaq; diſtribuet luſtratis munera terris,
Dotalis reparans arva beata plagæ.
Quà ſata nec pluviæ, rigui nec fluminis herbæ,
Vomeris aut tellus, vinea falcis eget.
Rubra coloratos nec purpura tinxerit agnos,
Vellera ſed roſeo ſparſa cruore gerent.
Quà Deus in cunctis operabitur omnia ſolus,
Veris & æterni tempora longa fluent.
Hæc veteres acti cecinerunt numine vates,
Fata recludentes ore futura ſuo.
Hæc fugat exoriens denſas lux magna tenebras,
Quæ matutini ſideris inſtar adeſt.
Eq; ſinu Patris cœliq; micantibus oris,
Filius hic datus eſt, natus in orbe Puer.
Qui mens alta Patris, mirandi nominis omen
A miro geminæ fœdere ſtirpis habet.

Quiq;

Qui restaurandæ terris arcana salutis
Nuncia sidereis detulit arce poli.
Qui domito magnum referens ex Angue triumphum,
Victor ovat, quô pax aurea rege viget.
Sed tulit haud orbis pacem, non orbis honorem
Ambijt, est orbi pax brevis, arctus honor.
Hic sancto firmans æternam fœdere pacem,
Nos precio redimit, conciliatq; Patrem.
Non nitet in gemmis, Tyrioq; superbus in ostro,
Structa nec è niveo marmore tecta colit.
Lectus erat fœnum, teneræ præsepia cunæ,
Atria straminea culmina nigra casæ.
Quà nec equi nitidi stabulis fremuére sub altis,
Cura sed agricolæ bos & asellus erant.
Non tamen hic cultus regis spoliavit honores,
Magnus is à summo numine splendor erat.
Nos inopes fuimus, nos labis origine servi,
Hic similis generi, sed sine labe, suo est.
Nostraq; servitio libertas inde redemta est,
Pauperieq; novas hic cumulavit opes.
Quin domus orbis erat, tectum fuit arduus æther,
Et spacioſa patens atria terra dabat;
Aurea præbebat pictum laquearia cœlum,
Et puer hæc manibus fecerat ipse suis.
Splendor at hic, & summa novi miracula partus,
Quando Dei soboles virgine nata fuit:
Deducunt cœli volucres ex arce ministros,
Et cunas magni circuiére Dei.

Vnus ad in densâ pastoribus adstitit umbra,
Occlusum septis qui tenuêre gregem.
Hi tremuêre simul, tremuit simul ignibus æther,
Pura repentinas sparsit & aura faces.
Aliger excutiens trepidantium corde pavorem,
Nunciat his dulci gaudia magna sono.
Mox chorus advolitans rutilantibus æthere pennis,
Edit inauditis carmina sancta modis.
Gloria prima Deo, primi referuntur honores;
Et terris pacem lætitiamq; canunt.
Pronus at infantem videt ad præsepia pastor,
Molliter & vinctum fascibus esse latus.
Adstat Josephus supplex, iterataq; nati
Libat adoratis oscula Virgo genis.
At Puer arridens dulcem cognoscere matrem
Incipit, æthereus spirat & ore decor.
Blandior humano flagrat cui lumine splendor,
Mitior humano pectore surgit amor.
Qui vultu cœliq; plagas, terræq; serenat,
Sæva procellosi quo cadit ira maris.
Tantus honor nostri est, & tanta potentia regis
Lucida qui nutu temperat astra suo.
At pecoris custos passim Solymèide terrâ,
Natalem Pueri, visaq; læta canit.
Aëriaq; sonant Ebræo carmine rupes,
Aura resultantes ingeminatq; sonos.
Hæc ea quæ, tangens sublimibus æthera ramis,
Arbor Jessæo germine nata viret.

Quam

Quam nec odorato frondosa cacumine Cedrus
Vincat, Idumæis palma nec orta jugis.
Hùc sub grata piæ venient umbracula gentes,
Maxima quàm lato limite terra patet.
Quà sub utroq; vident adversas cardine stellas,
Solq; recurrentes tollit & abdit equos.
Hìc capient dulcem miti sub fronde quietem,
Numen adorantes maxime Christe tuum.
Huc nova stella viros Nabathæis duxit ab oris,
Quæritur & patriâ regius urbe Puer.
Donaq; terna ferunt, auri sua pondera Regi,
Et stacten Homini, thura Sabæa Deo.
Hùc ab Hyperboreis gens advolat usq; pruinis,
Hùc venit humenti quà flat ab axe Notus.
Hùc & ab Hesperii properabunt littore ponti,
Vespere quà lassis Sol juga solvit equis.
Nos etiam gelidis Puer alme recurrimus oris,
Quà micat è nostro Mænalis ursa polo.
In cunis, pueri, te verbi fasce ligatum
Quærimus, ad sanctos procidimusq; pedes.
Non datur at gemmas, fulvi neq; ferre metalli
Dona, nec incensis addere thura focis.
Ista ferant quibus à peregrino littore merces,
Per tumidum portat puppis onusta fretum.
Nec cupis hæc tribui, satis est tibi prompta voluntas,
Scrinia sed nostri cordis aperta petis.
Ah, Puer, hæc nimium maculis fœdata veremur
Ferre sub aspectus lumina pura tui.

Sed reserare jubes: Puer ô sanctissime parce,
Ecce patent oculis pectora tota tuis.
Tendis at ipse manus, & præfert vultus amorem,
Scilicet hoc freti munera parva damus.
Abluis aspersam proprio tu sanguine labem,
Flamine collustrans scrinia nostra tuo.
Sunt tibi thura preces, accensi cordis ab igni,
Sunt grates gemmæ, divitiæq; fides.
Hæc Flatus tibi dona tui sacramus ad aras,
Sancte fave precibus, sustineasq; fidem.
Reffice tu fracta teneras in arundine vires,
Semextincta novâ concute lina face.
Flaminis & sacra dispellens luce tenebras,
Instrue præceptis corda subacta tuis.
Læta quibus crescens fidei tibi frondeat arbos,
Quam neq; vi turbo, nec ruat imber aquâ.
Eluctata novas sed te cultore sub auras,
Grata renascenti munera fronde ferat.
Annuis ô, placidusq; venis, gaudesq; rogari,
Summe Deus, Rex ô mitis, & alme Puer.
Dicite iô laudes, Puer hic apparuit orbi,
Nostrâ stirpe Puer, sed potiore Deus.
Ille patris Verbum nostris habitavit in oris,
Vidimus unigenæ splendida facta Dei.
Quem juxta plenis decurrit gratia rivis,
Promissisq; comes stat sua juncta fides.
Cernite divinos pacatæ frontis honores,
Labraq; purpureis fulgidiora rosis.

Ridet

Ridet amor vultu quô circùm cuncta serenat,
Suaviter & molles subrubuêre genæ.
Porrigit en teneras q̃ manus & brachia cunis,
Invitantq̃ suâ lumina pulcra face.
Vestra recens, pueri, nunc oscula jungite nato,
Oscula tàm roseis figite mille genis.
Hic Puer è cœlo sacris natalibus alto
Munera mille refert, gaudia mille parit.
Hic vetus Herculei cesset nunc fama laboris,
Et sileant fictis sacra peracta Deis.
Hic tener in cunis manibus Puer opprimit Anguem
Cui non sufficiens viribus orbis erat.
Ergò tibi meritò Puer hos sacramus honores,
Nostra juves præsens flamine sacra tuo,
Vt tibi fumanti referamus cordis ab arâ
Cum precibus grates, cum probitate fidem.
Tu reprimas, diro colubri qui sanguine nati
Arte premunt verbi semina, Marte petunt.
Frange feras Mosciq̃ minas Turcæq̃ furentis,
Pelle famem terris, corporibusq̃ luem.
Maxima sed latum celebrentur facta per orbem,
Auribus & nostris vox tua dulcè sonet.
Hæc ego cœlesti memorans de prole canebam,
In maris Arctoas quà fluit Albis aquas.
Quæ teneris soboles tua discat Adolphe sub annis,
Ipse doces sanctas quam resonare preces:
Et Natum celebrare Dei, qui missus Olympo
Educat hîc regno pignora cara suo.

Intereà pueros terris tibi sacra ferentes,
Aspice nos cœli de regione Puer.
Amplexuq; tuo, verboq; sonante fruamur,
Nostraq; non alius pectora tangat amor.

AD
M. IOACHIMVM TEGENERUM,
De Halcyoniis Ecclesiæ.
Elegia IV.

JAm riget hybernus gelidis Aquilonibus aër,
Tectaq; candenti sub nive squalet humus,
Vltima dum lustrans Capricorni limina Phœbus,
Tardior aversos orbe reducit equos.
Et redière dies quibus incubat hospita ponto
Et fœtum mediis fluctibus edit avis.
Dicite, quæ vastum colitis Nereides æquor,
Dum fluctus strato procubuére mari:
Quæ volucri natura piæ, nam sæpe videtis
Suspensos scopulis per vada salsa lares.
Est avis in Siculi creberrima littore ponti,
Accolit hæc undas, Halcyonemq; vocant.
Cum pare sola redit sub iniquæ tempora brumæ,
Horridus in sylvis cum rigor arcet aves.

Tùm

Tùm pia sollicitat generandi cura volucres,
Nix licèt in sævo stridat & aura freto.
Parvaq; sub scopulo, curvas imitata carinas,
Halcyo vimineum congerit ore larem.
Quem neq; vis pelagi poterit neq; frangere ferri,
Admoveat quamvis Mulciber ipse manus.
Perq; dies septem tepidis fovet ova sub alis,
Dum calor implumes excitet intùs aves.
Perq; dies septem teneros alit Halcyo pullos,
Dum levis enascens corpore pluma tegat.
Parcit at intereà, pendentibus æquore nidis,
Flatibus aura suis, fluctibus unda suis.
Et freta bis septem volucri sunt mitia luces,
Tranquillo pietas visa placere mari est.
Congrua digereret cunctis ut tempora rebus
Conditor, æquoreæ sors ea cessit avi.
Jussit & hospitium præbere volucribus æquor,
Et perhibent nunquam mitius esse fretum.
Tunc maris observans placidas tractabilis undas,
Hos solet Halcyonum nauta vocare dies.
At si fortè gravis consortem casus ademit,
Flebile nescio quid concinit inter aquas.
Inde novis veteres non mutat amoribus ignes,
Sed colit in viduo concava saxa toro.
Impenditq; gemens vocemq; animamq; dolori
Halcyo, mors finem dum miserata ferat.
Quàm benè parva cohors hac pingitur alite Christi,
Undiq; dum mundi pessima squalet hyems!

Sæpiùs impressam vel avis vel planta figuram
Exhibet, humanas discimus undè vices.
Sic hortis violam legimus, sic littore concham,
Et niger exemplum turtur amoris habet.
Exprimit Halcyonum duras Ecclesia sortes,
Et pelagi faciem magnus hic orbis habet.
Orbis at effœtam depingit bruma senectam,
Fluctus & aura maris, sunt furor atq; minæ.
Hæc esset cecinisse satis quia nota retracto,
Pluraq; quàm cecini tu Ioachime tenes.
Bruma moram noctis tamen & mihi carminis affert,
Longa quidem nox est, sed breve carmen erit.
In medio partens Ecclesia turbine mundi
Angitur, ut medijs Halcyo cincta vadis.
Semper at est auram tamen hic experta faventem;
Acta fuit, nunquam clade subacta fuit.
Sunt tantæ nec in orbe minæ, nec in orbe furores,
Vt non hæc aliquâ parte remittat hyems.
Nam Genitor dat in orbe larem, dat in orbe quietem,
Crescat ut imperijs, Christe, propago tuis.
Imbre natante solo sic Noham servat ab imbre,
Igne cadente polo servat ab igne Lothon.
Sic nemorum tuti vates latuêre sub antris,
Sævijt in quorum fœmina dira caput.
Vt nunc sæpè latent in quos furit aura potentum,
Nec ratis æquoreis tota repletur aquis.
Cœtus ut est Solymis Christi cum matre receptus,
Dum reliquos latè terror & error agit.

Sic

Sic quos Parrhasium sibi fixit ad Albidos amnem
Obtinuit salvos Leucoris alma lares.
Quæ benè consorti vivebat juncta Luthero,
Quæ benè consorti juncta Philippe tibi est.
Hi sacris studiis, sacrâ vi Numinis acti,
Collapsum fidei restituêre decus.
Nil his contulerint majus pia Numina terris,
Si referant priscos aurea secla dies.
At niveum gemitu quid comples Leucori montem?
Quid lacrymis Albim largiùs ire facis?
Hos luctus peperêre tibi, tibi funere raptus
Quandò Lutherus erat, quandò Philippus erat.
At quæ post obitum monumenta reliquit uterq;,
Hæc tibi sub fido pectore fixa manent.
Nec quisquam veteres aliò transferre calores
Suaserit, hîc tanti non erit ullus amor.
Excidet & nunquam divini gratia facti,
Donec in his terris vita superstes erit.
Interea studiis teneros pia mater alumnos
Format, & officij sedula munus obit.
Nunc sacra bis genitæ referat mysteria prolis,
Nunc Sophiæ dulces fonte ministrat aquas.
Nec timet in salso commotos æquore ventos,
Nec tumidis sparsas fluctibus horret aquas.
Sed vigil in nidis, jussoq; parata labori,
Cum Christo pelagi gaudet inire vias.
Summe Pater, par nate Patri, par dulcis utriq;
A Patre qui Nati munere Flamma venis:

Si maris ista quies, servitq; volucribus æquor,
Dum parit in medijs Halcyo parva vadis:
Candida tranquillæ nobis da tempora pacis,
Vt tuus hoc crescat cœtus in orbe, Deus.
Sint procul hinc morbi, spiretq; salubribus aër
Flatibus, & rapiant per mare bella Noti.
At colubri ventos in te compescite furentes,
Proq; tubâ, melior vox tua Christe sonet.

AD IESVM CHRISTVM,
Die Purificationis Mariæ.
Elegia V.

PAuca sub hanc lucem citharа tibi Christe sonanti,
Prævia lucifero dum favet aura, canam.
Hâc quia primigenum te Virgo Deiq; suumq;,
Obtulit æterni Patris ad ora die.
Teq; senex cœlo missum testatur in orbem,
Et laudum titulos, fataq; dura canit.
Inter Judæos fortunatissime vates
O Simeon, fati lege beate tui.
Edita namq; Dei responsa faventis ab aurâ
Sunt tibi, cœlesti voxq; relata sono.
Ni Christum videas laturum sceptra per orbem,
Non poteris Simeon lumina morte tegi.
Vt fuit illa fides in seram extracta senectam,
Attamen experta est sera senecta fidem.
Actus ab arcanis divinæ motibus auræ,
Venerat ad templi limina sacra senex.

Huc

Huc etiam virgo genitrix infantis Iesu
Venerat, antiquo sacraq; more parat.
Nam fœtum gravidâ virgo gestaverat alvo,
Ante quater denos ediderataq; dies.
Illa Deo natum sacrat, quia lucis in auras
Primus ab intactâ virgine natus erat.
Pura fuit quamvis, aris tamen indè columbas
Addidit, ut redeat ritè piata domum.
Hæc pia dum peragit virgo, longævus ad aras
Adstabat, sacris intereratq; senex.
Ecce sed exultans Puerum suscepit in ulnas,
Lætitiamq; animo vix capit ipse suam.
Vtq; genis roseis libaverat oscula, dixit:
(Verba pij lacrymis mixta fuêre senis)
Nunc Pater ad sedes, age, nunc juvet ire beatas,
Namq; tua est constans verba secuta fides.
Hæc mecum fero magna meæ solatia mortis,
Pace fruar, tantûm me premat alta quies.
Nam vidi his oculis ego quem priùs auribus hausi,
Hæc terris superâ fulsit ab arce salus.
O soboles summiq; Patris, matrisq; puellæ,
Ex Patre qui Deus es, Virgine natus homo!
Te Pater antiquo promissum misit ab ævo,
Imperij surgant ut tibi sceptra novi.
Teq; recepturis lux prævia gentibus ibis,
Quæ tibi lustrato pectore sacra ferant.
Summaq; dilecti celebraberis Israëlis
Gloria, tu populi lausq; decorq; tui.

Dixit

Dixit: at hæc tacito volvebat pectore mater,
Fataq; veridico quæ canit ore senex.
Sæva quibus veteris cesserunt fata ruinæ,
Iam quibus hic surgit, jam quibus ille cadit.
At lucem verbi nobis, ô Christe, revelans,
Prævius ignaris gentibus ire velis.
Pelle graves Martisq; minas litesq; docentûm,
Sit sine lite docens, sint sine Marte Duces.

AD JOHANNEM LUCHTEMAKER,

De conjugio Filiæ.

Elegia VI.

SIc benè pacta tuæ cedant connubia natæ,
Sic benè cœpta mihi carmina lane fluant.
Musa graves numeros pauliſper & arma reponas,
Imbellem cytharam ſumere juſſit Hymen.
Fauſta precaturæ ſocialibus omina tedis,
Hùc ſacro veniant ex Helicone Deæ.
Quam canimus, (ſi qua eſt verſus ea gratia noſtri)
Digna fuit verſu, dignior illa viro.
Scilicet hoc deerat rebus florentibus unum,
In ſocio natam conſtituiſſe toro.

Sint

Sint tibi magnificis extructæ sumtibus ædes,
Sint tibi frugiferi jugera lata soli:
Per marc vel mittit quas decolor India gemmas,
Vel tegit auriferi quicquid arena Tagi:
Attamen est major sobolis pia cura parenti,
Vnica quæ viles efficit orbis opes.
Filia vernanti tibi jam succreverat ævo,
Sæpè quidem multis antè petita procis.
Hujus ad amplexus tamen est servata pudicos,
Et tibi Udalricus contigit esse gener.
Hinc sibi qui clarum deducit stemmatis ortum,
Quà jacet occiduo Brema propinqua mari.
Ostia cæruleus pandens ubi lata Visurgis,
In vastum tumido volvitur amne fretum.
Ergò sacram pariter pia vota feramus ad aram,
Pro thalamo natæ concipe Iane preces.
Huc aderitq; favens, faustumq; precabitur omen,
Detlevus patriæ splendidus urbis honor:
Non tantùm veteri qui stirpis origine laudem,
Cui tribuit Longus nomina Rivus, habet:
Sed decus hoc generis propria virtute tuetur,
Et famam studiis ingenioq; parit.
Hinc alij cumulant precioso munere sponsam,
Ipse sed exigui carminis addo modos.
Et precor ut peragat dextro connubia fato,
Dum juvenis pactam dat recipitq; fidem.
Quem probitas animi decorat, quem gratia morum,
Suaviter & molles picta juventa genas.

Quem

Quem comitata favens sortis fuit aura benignæ,
Externo varias dum facit orbe vias.
Fortè morabatur nostris sub mœnibus hospes,
Luce bis æquoreâ q. à redit Albis aquâ.
Viderat hîc castis præstantem moribus Annam,
Pulcra verecundus tinxerat ora pudor.
Quale colorati maculis ebur enitet ostri,
Mixtaq; purpureis alba ligustra rosis.
Viderat: ipsa placet roseiq; modestia vultus,
Seq; suo dignam nata parente probat.
Virginis hinc cultæ facies mores q; subibant,
Civiliq; movet notus honore parens.
Protinus accensum tepefactis ossibus ignem
Concipit, & motâ jam face crescit amor.
Vt flagrant humiles succensa per arva myricæ,
Aut alit occultas cortice teda faces:
Sive leves flammæ tenues populantur aristas,
Sic agit ardenti corde receptus amor.
Senserat his pectus juvenile caloribus uri,
Viq; pharetrati victus amoris, ait:
Sola meam virgo potuisti flectere mentem,
Spesq; venit socij jam mihi certa tori.
Carior es vitâ, propiorq; parentibus ipsis,
Parce precor pietas, fortiùs urit amor.
Vos etiam patriæ flammis ignoscite Nymphæ,
Contigit hæc fatis hospita terra mihi.
Sic ait, & pactam sociali fœdere nuptam
Gaudet in amplexu sustinuisse suo.

Qualiter

Qualiter insigni ducens Bethuelida vultu,
Isacus in thalamos dicitur isse suos.
Illa pares animis hausit cupientibus ignes,
Inq; triumphato pectore regnat Amor.
Seu fuit arboreis horti spaciata sub umbris,
Tectus arundinibus qua latet albus olor:
Cum patre flumineos petijt seu puppe recessus,
Mersus ubi pingui messe redundat ager.
Sollicitam comitatur amor per rura, per hortos,
Nec vitrei fontes arvaq; picta juvant.
Sed simul ac juncti molles ivere per herbas,
Iam vitrei fontes, arvaq; picta juvant.
Iamq; legit flores juveni quos donet amato,
Ponit odoratis nexaq; serta comis.
Felices, quos sic amor ignibus implicat æquis,
Alter ut alterius pectore vivat amans.
Sic juvenes placido submittite pectus amori,
Integra dum viridi flore juventa finit.
Sic jubet ipse Deus, suadent hoc tempora vobis,
Et qui vestra ferus corda perurit amor.
Si caræ sobolis pia spes & gratia tangit,
Si curæ est liciti jus sociale tori:
Vrbs hæc materiam vestro præbebit amori,
Vos petit ornatis multa puella comis.
Sæpe suo furtim suspirat pectore virgo,
Occultasq; fovent mitia corda faces.
Dum loquor, Hesperijs Phœbus submergitur undis,
Flagranti rutilans & face prodit Hymen.

Cingimus

Cingimus intereà geniales ordine mensas,
Funde puer dulci pocula plena mero.
Nobiscum hinc choreas formosas ducere natas,
Gaudebunt patres aspicientq; nurus.
Lucidus exoriens cùm suadeat oscula vesper,
Primitiasq; dari postulet ipsa Venus.
Sic faciat patris lætam pia nata senectam,
Atq; nepos gratâ voce salutet avum.
Me sed ab hoc revocat sua Mars ad prælia lusu,
A thalami referas limine Musa pedem.

AD
D. IOHANNEM HOLMANNUM Secundum.

De morte Henrici Elebechii.

Elegia VII.

IN nova quis dignos iterum mihi funera questus
Suggeret? an luctus non satis unus erat?
Non satis unus erat, brevis abstulit ambitus anni
Quod doleant nunquam secula longa satis.
Prima tulit mœsti nobis exordia luctus,
Liquit ut ingratam morte Philippus humum.
Inde duos pariter mors sustulit invida vates,
Odera flave tuum, Necare fulve tuum.

Nec

Nec satiata fuit, sed multos præripit orbi,
Virtutis quorum maximus usus erat.
Occidit hos inter vernis Elebechius annis,
Dum fuit in cursu prima juventa suo.
Flete graves casus, nihil hîc nisi tristia desunt
Carmina, jam mœstos dic Elegia modos.
Ingenuæ studium quia vivus amaverat artis,
Ingenuæ laudem mortuus artis habet.
Vos quoq; qui fidi nomen retinetis amici,
Ille quibus vitæ tempore carus erat:
Quos dulcis studij socios tellure reliquit,
Manibus inferias solvite quisq; suas.
Mox eadem nostri poscent suspiria manes,
Sopiet & similis corpora nostra quies.
Ergò tuas nostris addas Holmanne querelas,
Vmbraq; nos memores sentiat esse sui.
Flere licet lacrymisq; pijs ostendere luctum,
Sed pia præcipuè funera flere licet.
Hunc pietas teneris complexa fovebat ab annis,
Et superis carus cœperat esse puer.
Famq; Deum, Sobolemq; Dei, sanctumq; Vigorem
Noverat, & verus quis tribus esset honor.
Cum simul & doctas addiscere Palladis artes
Incipit, & Latio verba referre sono.
Hîc ubi Luna suas ex æthere despicit arces,
Cùm niveos atrâ nocte reducit equos.
Tempore sed cum jam crescens adolesceret ætas,
Ingenij pennas altius aura levat.

Mox adit Albiacas annis suadentibus oras,
Parsq; fuit cœtus Leucori dia tui.
Quæ magis est claro celebrata Melanthone sedes,
Quàm suus Euboicâ vate recessus erat.
Hic sacra cœlestis discens oracula verbi,
Assiduè divi pendet ab ore senis.
Iungitur & multis hic consuetudinis usu,
Quorum longus adhuc pectore durat amor.
Tunc cultos juvenis mores Holmanne probasti,
Parsq; tui studij, pars quoq; cordis erat.
Fœdere cum magni vobis conjunctus amoris,
Mollerus sacrâ Pallade doctus, erat.
Qui tunc spes patriæ nunc laus est maxima terræ,
Gambrivios rectus quà rigat Albis agros.
Nec modò qui veteris jactat se stemmatis ortu,
Sed virtute sibi nomen & arte parat.
Felices candore viri, qui sidere fausto
Pectora nata gerunt, pectora juncta gerunt.
Singula callentes triplicis discrimina linguæ,
Quos latè celebres candida fama facit.
Ambo jam studijs florentes, Saxones ambo,
Hic Zuingæ ripis, Albidos ille sedet.
Vivite vos saltem tantis & crescite donis,
Vestraq; laus quondam tangat utrunq; polum.
Inter at hos socios ducens Elebechius ævum,
Propositum totis viribus urget opus.
Iam studium doctæ peragebat alacriter artis,
Iunctaq; jam Latiæ lingua Pelasga fuit.

Cum

Cum Sophiæ suaves etiam seceßit in hortos,
Quà tegit occultas Cecropis umbra vias.
Altius hinc magnos se tollit ad ætheris orbes,
Ingenio duplices ausus adire polos.
Nec satis est cœli numerasse volubilis ignes,
Nôsse sed hic etiam vimq; viamq; juvat.
Hinc maris ad latebras nitidis descendit ab astris,
Post cupit abstrusi viscera nosse soli.
Dum tamen his viridis consumitur artibus ætas,
Dum potuit donis utilis esse suis.
Ecce citæ mortis prænuncius occupat artus
Morbus, & insolitus corpora pallor habet.
Nec mora, purpurei florem mors decutit ævi,
Flos cadit, & roseus deserit ora color.
Vt languent rigido demessa papavera ferro,
Frigida vel vernas cum rapit aura rosas.
Aut jacet everso moriens Hyacinthus in agro,
Vomere cum durus scindit arator humum.
Non aliter perijt vernantibus integer annis,
Frigida vel cespes vel tegit ossa lapis.
Est homo flos agri, volucriq; similimus umbræ,
Aufugit, & si quem credimus esse, fuit.
Quàm cito præcipitant pluviæ de montibus undæ,
Tàm citò, vel citius corpore vita fugit.
Fata manent omnes, quamvis non omnibus idem
Exitus est, felix quem pia fata manent.
Certius his nihil est, nihil est incertius horâ,
Nescio quando venit, mors venit atra, scio.

Vel citò vel serò, nihil est quod fata moretur,
Cogimur has omnes mortis inire vias.
Quæ juvenis validæ fuerant in corpore vires
Mors tulit, & reliquum nil nisi fama manet.
Fama manet terris, mentem sibi poscit Olympus,
Cognatum repetit corpus inane solum.
Nunc tamen hæc capies properæ solatia mortis,
Gratáq; sub nigram fama sequetur humum:
Postera si nostris erit æqua laboribus ætas,
Post cineres aliquâ laude superstes eris.
Carmine te dignum dignumq; fatebitur annis,
Crescet & in longos multa querela dies.
Nunc etiam video, quocunq; sub axe morentur,
Immatura tuæ fata dolere necis:
Quos tua te probitas & aperto pectore candor,
Iunctaq; candori fecit amare fides.
Primus amicitiam recolens Holmannus & usum,
Tempore qui longo dulcis utriq; fuit:
Ante diem mersum te funere luget acerbo,
Et recitat Graios ad tua busta modos.
Quà, velut obliquis Mæander flexibus errans,
Torquet & ad fontem Zuinga retorquet aquas:
Mollis & in morem sinuosi volvitur anguis,
Dum tibi se tacitis misceat Albi vadis.
Hinc alij luctum gemitu lacrymisq; fatentur,
Accipit & mutus tristia dona cinis.
Me quoq; me terris humiles cumulare querelas,
Ætheris ex altâ latior arce vides.

Quod

Quod possum, gemitu hoc, si quis tamen audiet illum,
Quod possum, manes prosequor ipse tuos.
Felix qui dubij sic tempora collocat ævi,
Ne subeant unum famaq́, & ossa rogum.
Laus viget in longos celebrati nominis annos,
Et natura potens quod parit arte, manet.
Divitiæ pereunt laudataq́, gloria formæ,
Temporis arbitrium fama subire negat.
Forma bonam solita est olim contemnere famam,
Aura fuit sermo, plumaq́, pectus erat.
Addere nec timuit stolidæ convicia linguæ,
Quæ fuerant tantæ non patienda Deæ.
Fama sui fidens altum petit æthera pennis,
Fertur & ad magnos justa querela Deos.
Dissimiles divûm ceperunt munere sortes:
Tempore Forma perit: Tempore Fama viget.
Altera vix terris serpit: volat altera cœlo,
Ardua sublimi conspicitúrq́, polo.

AD D. IOHANNEM TRAIECTINVM, ex Albi.

Elegia VIII.

DVM patriam refluus me devehit Albis ad urbem,
Ictaq́, cæruleis cymba resultat aquis.

Discordes q3 movent inter se prælia venti,
Imminet & trepidæ sæva procella rati.
Effœti mihi forma subit tristissima secli,
Omnia quo fati turbine versa ruunt.
Tùm mecum varij jam cogito facta tumultus
Semina, quàm latè Teutonis ora patet.
Non secus ac raptis devicti dentibus Hydri,
Sævit Agenorides prælia Cadmus hume.
Iamq3 seges longis caput exerit undiq3 sulcis,
Et gravis heu nimio fœnore messis erit.
Quid querar? obscuris cùm nubibus horruit æther,
Stridet & obliqui turbinis aura sono:
Vt cadit aut fractis radicibus eruta pinus,
Tunditur aut cœcâ naufraga puppis aquâ:
Sic quoq3 florentes discordia disjicit urbes,
Quam populi tumidis flatibus aura ciet.
Ne doleas igitur raptum tibi funere natum,
Qui portum medio turbine raptus habet.
Heu nimiùm felix, natusq3 faventibus astris,
Cui cita, vel puero, stamina Parca secat!
Aut vetat æthereas vivum prodire sub auras!
Funere quàm multas non videt ille vices!
Sed prohibe infandos à nostris urbibus ignes
Christe potens, vires hùc precor adde tuas.
Tu solus poteris Colubrum frenare furentem,
Ne levet in proprios sibila colla pedes.

Ad

AD
M. HERMANNVM BRVGGEMANNVM.

Elegia IX.

SIC age, promissum thalami jam perfice fœdus,
Auspicijsq; Dei vita jugalis eat.
Nec te nunc alius quàm torreat æstus amoris,
Sat vires habuit febris anhela suas.
Fortè Cupidineos jam fers patientius ignes,
Datq; alio victus terga calore calor.
Fas mihi nunc thalami celebrare jugalis honores,
Dum subit amplexus Anna puella tuos.
Et vetus à magno sancitum Numine fœdus,
Cum vix esse recens cœperat orbis opus.
Nexibus hoc firmis cupidos conjungit amantes,
Vt degant socio fœmina virq; toro:
Donec mortales animâ mors separet artus,
Ius neq; rumpendi fœderis alter habet.
Vt sociata suo conjunx vivebat Adamo,
Fatali steterant dum sua pensa colo.
Hoc statuit fœdus naturæ providus autor,
Castus ut hac animis lege perennet amor.
Cresceret & dominâ subjecta propagine tellus,
Qua trahat agnato femina celsa polo.

Sanctaq; perpetuo veneretur Numina cultu,
Parsq; sit imperij Christe decora tui.
Hinc amor occultas accepit pectore sedes,
E latebris puras exseruitq; faces.
Tunc novus hac habuit vitâ nil dulcius orbis,
Tunc nihil hoc animis purius igne fuit.
Sed brevis hæc fuerat, fuscataq; labe voluptas,
Substitit in primo limine læsus Adam.
Perdidit heu quantum præstans natura decoris,
Fœtus ut injusâ fronde revulsus erat!
Ni maculas primâ traxisset labe parentum,
Castus adhuc puris ignibus esset amor.
Non tamen est propriâ cordis de sede remotus,
Vimq;, licet flammæ languidioris, habet.
Nec caret auxilijs intra sua septa moratus,
Fida sed hunc sacri Flaminis aura juvat.
Suscitat hæc animos, & honesto regnat amantum
Pectore, conjugij quos pia cura tenet.
Nec juga detrectant thalami, legemq; jugalem,
Nec Venus illecebris insidiosa capit.
Foverat Isacidæ tales in pectore flammas,
Servitij longas cum tulit ille moras.
Sic liciti amplexus concessaq; basia dantur,
Iunctaq; concordi gratia pace venit.
Sic formosa videns Bethuëlidos ora Rebeccæ,
Immisso juvenis saucius igne fuit.
Nempe Deus thalami consortia jura tuetur.
Gratus & est vitæ connubialis honor.

Sic

Sic amor immensum vires extendit in orbem,
Traxit & antiquos sub sua regna patres.
Spargit ubiq; faces, & cordibus implicat ignes,
Notus Adame tibi, notus Abrame tibi.
Trita diu veteris sunt hæc vestigia flammæ,
Arbitrium nostri pectoris illa tenet.
Factus Adam fuerat, soluśq; resederat horto,
Spectatorq; novi primus hic orbis erat.
Hinc terræ flores, hinc cœli suspicit ignes,
Autorem referunt terra poluśq; suum.
Solus adhuc egit teneræ novus incola terræ,
Cùm mox, quo fuerat conditus, autor ait:
Cum pare quisq; suâ consortia tempora ducit,
Bruta solo, volucres aëre, pisces aquâ.
Factus & hic dulcem vitæ socialis ad usum;
Consortem dabimus, ne sibi solus agat.
Dixit: & immisit somnum: projecta subibat
Lenis odorifero cespite membra quies.
Indè soporato demit sub pectore costam,
Hæc abit in formam nobilis Eva tuam.
Somnus abit, carnisq; suæ quâ parte carebat,
Hæc stetit herboso conspicienda toro.
Vertit & oppositos in se pulcerrima vultus,
Esse Dei scires hanc sapientis opus.
Qualis tunc roseo fulgens Aurora cubili,
Manè rubescenti vexerat axe diem:
Talis & arboreis rigui sub frondibus horti,
Pulcra virescentes presserat Eva toros.

Dum tamen hanc oculis cupidè spectavit Adamus,
Adfuit à magno numine missus Amor.
Insinuansq; faces tetigit præcordia flammis,
Occulti dederant pectoris ora notas.
Ille novæ rapitur similisq; cupidine formæ,
Cordaq; tunc puris ignibus usſit amor.
Carnis ut es nostræ, sic pars quoq; maxima cordis,
Dimidiumq; mei defuit antè, refert.
Dulcis eris consors, & vitæ magna voluptas,
Deq; viro nomen sumta virago feres.
Sic ait: & fovit gratos amplexibus ignes,
Æthereæ dum mens integra lucis erat,
Post fuit hanc vitæ casus comitatus in omnes,
Cum fortunatis ejicerentur agris.
Hinc celebrata manet socialis gloria lecti,
Inq; novo fuerat pronubus orbe Deus.
Quod licet ergò tuo nunc carmine grator amori,
Autor dum primi tantus amoris erat.
Humano generi leges qui fixit amandi,
Quas equidem cunctis transiliſſe nocet.
Nec fuit exemtus quisquam, sociq; cubilis
Casta Sacerdoti jura subire licet.
Qualis sacrorum, qui templa regebat & aras,
Præses, in Ebræa gente, maritus erat.
Nam thalami (quamvis tractes sacra munera verbi)
Cura, ministerio non inimica tuo est.
Quin lecti socialis amor designat amorem,
Quo sponsam dulci fœdere Christus amat.

Pauperis

Pauperis hic etiam non sprevit limina sponsi,
Ad pia cum thalami sacra vocatus erat.
Vt castus Deus est, & puræ mentis origo,
Casta probat socij sic quoq; jura tori.
Votaq; de puro venientia corde requirit,
Non inconcessâ quod face torret amor.
Hæc tibi suadebat sapienti pectore Paulus
Fœdera, dum primo flore juventa niter.
Quo non dexterior doceat de lege, fideq;,
Nec sub Mœnalio clarior axe viget.
Sed cum sponse paras primos cum virgine somnos
Iungere, sint votis obvia cuncta tuis.
Sint certiq; lares, & præmia grata labori,
Lætaq; prole domus, pace, fideq; torus.

In nuptias
JOACHIMI HERMENS,
&
Annæ Tegeneriæ.
Elegia X.

HOspes eram gelidi nemoroso littore Sleiæ,
Excipit Arctoi quà vada salsa freti:
Inter Hamadryadum secreta cubilia vidi,
Et Charitum faciles Pieridumq; choros,

Dum

Dum moror, & Phœbum, Parnasso monte relicto,
Miror, & hîc sacras tecta tenere Deas:
Aëris & quæ sit video clementia puri,
Pratáq; graminibus, fertile messe solum:
Floribus & cultos spirare nitentibus hortos,
Vix quibus Ausoniæ proferat ora pares:
Egregias campis & lustro patentibus arces,
Arte simul firmas, ingenioq; loci:
Obtulit ad vultus mihi se caduciser Hermes,
Formaq; prodebat voxq; diserta Deum.
Texerat ala pedes & brachia, at ora galerus,
Arcadico qualem pastor in orbe gerit.
Mox ait: hîc Cimbris habitata potentibus olim,
Vnde genus magnis regibus, arva vides.
Sæpius hi veteres bello domuêre Quirites,
Et doluit strages Roma superba suas.
Et fortes nunc terra viros Heroaq; gignit
Pectora, quæ Phœbo digna canente forent.
Nempe graves numeros virtus, vatemq; vietum
Quærit, inæquali tu pede necte modos.
Cynthius en fulvi properat per terga Leonis,
Dum furit & flagrans Sirius arva coquit:
Mitius inde petens jucundæ virginis astrum,
Oscula portabit, lætitiaq; diem:
Quo formosa novo sociabitur Anna marito,
Anna puellaris flosq; decusq; chori.
Cujus uterq; parens ornat virtutibus urbem,
Et pietas servat limina sancta domus.

Commen-

Commendat probitas ſponſum cultæq; Camœna,
Plenaq; Germani corda pudoris habet.
Et quoniam præſtat facilis moderamine linguæ,
Hermetis juveni nomen habere dedi.
Hoſpitij veteris ſed te ſcis jure teneri,
Vt modo dona feras qualiacunq; potes.
Sed tibi non aurum, fateor, non jugera campi,
Æquore nec lucrum merx tibi vecta parit,
Si quis honos Phœbo tamen eſt, nudisq; Camœnis,
Si quis carminibus; carmina ferre potes.
Non aurum ſpectant, animum ſed dantis, amici,
Non ſunt perpetui nexus amoris opes.
Hîc interrupit Tegeæi verba loquentis,
Plura mihi quamvis dicere viſus erat.
Hanc quid Atlantiades renovas mihi dive querelam?
E numero vates pauperiore ſumus.
Dulce quidem carmen; ſed ſi tibi ſemper egendum,
Non equidem optares eſſe poëta diu.
Ars nunc ſpreta jacet, ſed non ego tempora culpo,
Sors cunctis fermè vatibus una fuit.
Excipit hîc Majæ ſoboles: hanc abijce curam,
Ingenium quoniam, cenſus, opesq;, tibi eſt.
Mens vatum contemnit opes, ſors ſæpe miniſtrat,
Andinus tenuit jugera multa Maro.
Non inopes equidem tellus alit Itala vates,
Et favet ingenijs Saxonis ora ſuis.
Vtere tu donis animi: cum voce receſſit,
Et juſſit teneros continuare modos.

Ergo

Ergo dies aderit, quo, jucundißime ſponſe,
Detur in amplexus Anna petita tuos?
Æſtus erat nuper calido ſub ſidere Cancri,
Major at acceuſi pectoris æſtus erat:
Cùm facie captus pulchræ, Ioachime, caleres
Virginis, & jaculis fixus amoris eras.
Tunc, ni fallor, hyems urebat frigore campos,
Nec rigido victus frigore ceßit Amor.
Ah quoties gelidum veniſti puppe per Albim,
Ardoris quærens quæ medicina foret:
Non Albis potuit tantos relevare calores,
Virgo fuit flammæ ſed medicina tuæ.
Sic Iſacus juvenis pulchram Bethuelida quærens
Per fluvios durum ſaxaq; fecit iter.
At tuus haud certis ſine legibus æſtuat ardor,
Et DEVS his votis conjugioq; favet.
Vtq; favet, dulci facilis vos prole beabit,
Quæq; patrem factis, quæq; imitetur avum.
Nam, quòd honoratis eſt virgo parentibus orta,
Legitimos tecum nunc ſubitura toros:
Quòd genitor meritâ virtutis laude refulgens,
Nomina Tegnerûm primus ad aſtra vehit:
Et quòd Gambriviâ nunc ſanctus in urbe ſenatus
Ingenium, & docti ſuſpicit ora viri:
Quòdq; ſacris clarum ſtudiis miratur, & artis
Palladiæ gnarum, judicioq; gravem:
Et quòd cana fides ſincero in pectore ſedem,
Et niveus candor, dexteritasq; tenent:

Omnia

Omnia mitto volens, Elegi quia ferre recusant,
Quæ pede Mœonio perficienda forent.
Hæc tantum tibi, sponse, cano, sponsæq; pudicæ,
Et jungo votis hæc mea vota tuis.
Gratulor & meritò thalami socialis honorem:
Iure sodalitii qui tibi junctus eram.
Duximus ut virides studiis consortibus annos,
Quà lavat Albiaco Leucoris amne pedem.
Quin & Ießides citharæ modulatus eburnâ,
Dulcia connubij pacta decusq; canit.
Dulcior hoc vatum nemo nec sanctior alter,
Sive feras Latios Argolicosvè sonos.
Hunc sacer ætherea quia spiritus impulit aurâ,
Plectraq; fatidici movit & ora senis.
Illius hîc mecum dulces meditabere cantus,
Sæpè tibi curas qui Ioachime levent.
Felix ante obitum, simul & post funera felix,
Pectore qui casto Numina casta colit.
Et metuit dominum vetitis offendere flammis,
Nec violat pacti jura fidemq; tori.
Non tenuit victus hunc anxia cura parandi,
Ossaq; non lentâ tabe peredit amor.
Sed dulces operæ fructus, & grata laborum
Commoda percipiens, tempora lætus aget.
Corporis ac alacer retinens, animiq; vigorem,
Nullum dat curis tristitiæq; locum.
At fruitur pertis, avidè nec quæritat usquam
Siccus opes, census mancipium ipse sui.

Gryphes

Gryphes ut Arabiæ servant in montibus aurum,
Aut tenet Hesperidum fulgida mala draco.
Nec sua dispergit temerè, nec durus egenti;
Gratus at autori est, obsequiturq; DEO.
Fertq; voluptates sociæ, fert commoda vitæ,
Mille voluptates, commoda mille capit.
Aspera si quæ sunt, morum dulcedine lenit
Vxor, & alloquiis, obsequiisq; levat.
Fructiferæ veluti generoso palmite vites
Vndiq; frondosas implicuere domos:
Dantq; umbras foliis, succisq; rubentibus uvas,
Et requiem pariter lætitiamq; ferunt.
Sic fœcunda viri conjunx amplexibus hærens,
Educat in casto pignora nata toro:
Sola decus mulier, sociiq; corona mariti,
Quâ sine nil pulcrum est, quâ sine dulce nihil.
Vtq; petens vacuas ramis felicibus auras,
Alta Palæstinis surgit oliva jugis:
Signaq; fert pacis, crinesq; comantibus ornat
Frondibus, & pingui membra liquore juvat:
Sic patriam mulcent dulcissima pignora mentem,
Cum simul ad positas accubuêre dapes:
Spes generis, nati, venturæ fulcra senectæ,
Matris amor, patriæ præsidiumq; domus.
Ecce adeò præsens Deus est, tantumq; secundat
Conjugii si quis fœdera castus init.
Castus enim Deus est, niveo qui septa pudori
Fixit: & has metas transiliisse nocet.

Pauca

Pauca loquor: castos ex arce Sionis amantes
Aspicit æterni filius ipse Dei.
Pronus & hæc audit, thalami quæ fœdere juncti
Conjuncta ex uno pectore vota ferunt.
Et cœlum Solymæ promissaq; cætera genti
Distribuit largâ maxima dona manu.
Et precibus reddit vultus genitoris amicos,
Et patriam amissam Iustitiamq; refert.
Donat & æternos vitæ melioris honores,
Efficit imperij participesq; sui.
Castaq; posteritas capiet communia regni
Gaudia, consortis nixa favore sui.
Mutua perpetuæ sic constant vincula pacis,
Quâ genus Isacidum corda quieta geris.
Quisquis erit, casto qui se submittet amori,
Cœlesti in terris sorte fruetur amans.

HENNINGI CUNRADINI Poëtæ Laureati *Epigrammatum* Lib. I.

AD

Magnificum & nobilem virum, virtute, eruditione & sapientiâ præstantem

Dn. EBERHARDUM MOLLERVM Consulem Hamburgensem.

CVm dulces cuperet lucis prodire sub auras
Hic liber, & cœlo liberiore frui.
Ne miser à blattis fixus tineisq; subiret
Fata tenebrosis horridiora locis:
Parce liber, dixi, tibi ferre teredinis ictus
Est levius, linguæ quàm mala spicula pati.
Si tamèn exoptas haud visam cernere lucem,
Limina Molleri visere Musa velis.
Qui lux Hamburgæ Consul celeberrimus urbis,
Qui lux Astrææ Pieridumq; chori.
Adferet hic lucem, sic exi lucis in auras,
Hæc quoq; lux contra barbara tela valet.

Lux

Lux hæc invidiam claro splendore repellet,
Lux hæc te faciet luce nitere suâ.
Clare meo lucem Mecœnas sparge libello,
Et tenebras contra luce tuere tuâ.

De astris,

Ad Dn. HENRICUM RANTZOVIUM, regium Vicarium.

ASTra micant cœlo, sapiens micat autor in astris,
Pulchrior autoris nos sed imago sumus.
Astra dies annumq; regunt, variantis & anni
Tempora, commoti sunt quoq; signa DEI.
Astra animos corpusq; movent: oracula cœli
Astra, sed arbitrio temperat astra DEVS.
Astra piis cedunt precibus: scrutandus at æther,
Rectius ut pateant sidera, Numen, homo.

De Samsone.

Solus erat magno robustior Hercule Samson,
At Samsone fuit fortior acer amor.
Cujus terrificum discerpsit dextra leonem,
Hic animo nequiit fortior esse suo.
Quiq; suâ fasces Iudex in gente gerebat,
Hunc domuit facto vulnere mollis Amor.
Quis domat hunc autem? pietatis dia cupido,
Hic pestem indomiti pellit Amoris amor.

ὑποτύπωσις

Conventus Pontificij.

AD

D. IOHANNEM BOCHELIUM medicum.

DVM pia libratis Concordia labitur alis,
Quà stant Teutonicis oppida culta jugis:
Aspicit hic coiisse viros, qui sacra colentes
Dissita concilient fœdere corda novo.
Tunc sic visa queri: quandò heu pax dulcis in uno
Cum sanctâ stabit Relligione loco?
Vtq; adijt propiùs, subitò est exterrita monstrũ,
Ipsaq; vox hæsit fauce, pedesq; loco.
Nam simul offudit ventosa Superbia fumos,
Et soror Ambitio est spargere visa faces.
Iuncta Fames auri est, cœdisq; cupido nefandæ,
Quæq; nocens rixæ semina spargit Eris.
Tùm gemitus mixto fudit Concordia fletu,
Et Christi supplex volvitur ante pedes.
Respice me pulsam genitor, qui pacis es autor:
Invitam templis me pepulére suis.
Me sibi Relligio, me sancta Ecclesia poscit,
Quam lis, quam rabies, non sinit esse suam.

Nec

Nec spero his monstrà pacem contingere: sed tu
Fac, rogo, ne frustra hæ, Christe, cadant lachrymæ.

PHOENIX
AD HECTOREM
Mithobium art. medicæ Doctorem.

Construit ùt Phœnix ad Solis lumina nidum,
Et flammas alis suscitat ipse suis:
Mox se sponte suâ medios immittit in ignes,
Membraq; sic reparat morte renata sibi.
Non aliter flammas patriæ dùm sustinet iræ
In cruce cæsus homo victima Christus obit.
Surgat ut humanum genus atrâ morte peremtum,
Corporis ut reparet mortua membra sui.

In imaginem Tristitiæ.

Quæ fugiens hominum cœtus, loca sola pererras,
Arida semeso pectore Tristitia:
Quam cinxêre dolor, furiæ, suspiria, curæ,
Intempestivæ votaq; cruda necis:
Quid transacta tuo, quid corde futura volutas?
Vtraq; cura nocens, utraq; cura nihil.
Nam transactorum manet immutabilis ordo,
Ferrea nec poteris fata movere loco.
Numina prospicient de rebus at ipsa futuris,
Hic omnis vana est & tua cura nocens.

Ne luctu te sæva coquas : verum obvia præstes
Naturæ & fati legibus obsequium.
Quære nec ulterius, sed ages præsentia rectè,
Quisq; volens propriâ sorte beatus erit.

DE FORTUNÆ INIQVITATE

Experientia. Ratio.

E. *Quis status hic? an erunt virtutum præmia pœnæ?*
R. *Præmia fert semper sors ea cœca bonis.*
E. *Cur ea sæpè malos ad culmina tollit honorum?*
R. *Ex alto ut gravius culmine præcipitet.*
E. *Quæ sortis medicina malæ?* R. *mens conscia recti.*
E. *Quid precij, si quis rem benè gesſit, habet?*
R. *Ipsa sibi virtus precium jucundaq; merces,*
Numinis hæc summi tuta favore manet.

AD

Dn. EBERHARDVM TWESTRENGIUM I. V. L. Conſ. Hamburg.

QVos ego Leucoreas adoleſcens miſſus in oras,
Flavus arenoſam quà ſecat Albis humum.
Et vidi, & quorum voces his auribus hauſi:
Europæ ſummos, lumina clara, viros;

Horum

Horum pòst venerans cineres, gratoq; parentans
Manibus ore pijs, hæc ego justa dedi.
Quid referam tantos reminiscens artis honores?
Tempora cùm studio dispare nostra fluant.
Tunc conspirabant Pietas, Concordia, Candor,
Floruit ingenuæ summus & artis honor.
At benè habet, preciosa virûm monumenta supersunt,
Quæ passim radios lucis in orbe ferunt.
Hic Eberharde tibi thesaurus honorq; virorum
Hic bustis habitus jam tibi gratus erit.

In obitum
Dn. PHILIPPI MELANTHONIS.

CEssit ut emeritus vitæ statione Melanthon,
Lenis & astrinxit corporis ossa sopor:
Qui Sophiam & doctas Germanis tradidit artes;
Sacra tenent priscum quo duce templa decus:
Qui tulit egregias tot in uno pectore dotes:
Quot nunc vix hominum pectora mille gerunt:
Ad cœlum rediit pia mens: humus ossa recepit:
Orbis sed famæ non satis unus erit.

De eodem.

Tollere Mors fuerat doctum conata Philippum,
Quiq; seni movit Sclavicus arma furor:

Sed splendent magis atq; magis pietasq; fidesq;,
Spirat & è scriptis vis animosa viri.
His vivit superatq; pius post fata Melanthon,
Turpiter & victi mors q; furorq; cadunt.

In imaginem
Dn. IOACHIMI CAMERARII Pabepergensis.

TAle decus cani præfert Camerarius *oris,*
Hos Francos habitus, tegmina prisca, senex.
Pro doctæ effigie mentis, quæ nescia pingi,
Gloria Romani tota sit eloquij.
Sint Musæ, Charites, Phœbus, Parnassus, Athenæ,
Socraticâ potior, vitaq; sancta, domo.

In tumulum
Dn. IOHANNIS FORSTERI Hebrææ linguæ peritissimi.

CVi pater Ebræos monstravit Capnio fontes,
Contulit & tituli Leucoris alma decus:
Qui veteris condens ingenti codice linguæ
Vim. flexus, apices, puncta, notasq;, dedit:
Cuiq; animus simplex & casto consonus ori,
Actaq; pervigili vita labore fuit:

Forsteri

Forsteri *corpus jacet hìc: at nil nisi corpus,*
Pars orbi reliqua est, pars quoq; vecta polo.

Ad sepulchrum
D. IOHANNIS BVGENHAGII Pomerani.

HAnc Vitteberga dedit Pomerani *in marmore* sculptam
Effigiem, & sancti condidit ossa senis.
Impeteret Latij verbo cùm sæva Lutherus
Regna lupi, socios fidus hic inter erat:
Fortia Lernæam qui pectora vertit in hydram,
Qui calamo & vivâ voce ferebat opem.
Vt Samuel reges sceptro decoravit, & unxit,
Ad grave sic Pietas hunc quoq; traxit opus.
Namq; dedit sceptrum manibus, capitiq; coronam
Imposuit Regi, Dania celsa, tuo.
Semina tùm sparsit verbi per regna per urbes,
Saxoniæ peragrans Vandaliæq; plagas.
Nunc vocis longæq; viæ fidiq; laborís
Prǽmia fert cœlo, nempè perenne decus.

De
JACOBO MILICHIO Medico.

MIlichius *facie procero & corpore priscis*
Heroibus qui par erat,

Pictus in hac tabulâ est: hic celsâ mente probandus
Magno Platoni & Socrati;
Phillyridæ par arte fuit, castisq; Camœnis
Certavit oris gratiâ:
Candidus est animi miratus dona Melanthon,
Pectusq; amavit candidum.
Hinc utriusq; manet candoris fama superstes,
Dùm stabit alma Leucoris;
Dumq; vetus niveo nomen de monte tenebit,
Candoris erit his gloria.

De
VITO ORTELIO WINSHEMIO seniore Artis medicæ Doctore.

QVàm vixit hic Vitus diu VVinsemius,
Huic tàm diu Pitho dedit mel Atticum,
Artesq; Phœbus, & novem cultum Deæ,
Tres gratiam, flumen suum Facundia:
Sed quisq; pro donis suis, quibus utilis
Mortalibus vivens fuit VVinsemius,
Cineri sepulto consecrat non lachrymas,
Fletusq; amaros, flere qui jam nesciant;
Sed dant viro famam perennem nominis.
Dat summus ipse æternitatem nunc DEVS,
A quo beata pervenit felicitas.

DE

De PAVLO EBERO.

QVid labor & vigilans induſtria poſsit, Eberus,
Quem parvi reddit corporis umbra, docet.
Hic Sophiæ abſtruſos, ducente Melanthone, fontes
Hauſit, & ex doctâ rettulit arte decus.
Indè Palæſtinos ſtudium grave traxit in hortos,
Et vigil Albiacâ paſtor in urbe fuit.
Hunc magnum nunc fama facit, quem ſtirpe creatum
Ex humili, & parvum parva recondit humus.
Nullum forma decus, nec opes nec ſtemma parabunt,
Gloria vera venit, ſi qua labore venit.

De GEORGIO MAIORE viro eloquentiſsimo.

NOricus egelidum Pegneſi natus ad amnem,
Maximus ingenij flumine Major erat.
Parthenope docuit mox Rhetor in urbe juventam,
Fundere compoſitis verba diſerta modis.
Hinc fuit ulterius conſidere juſſus ad Albim,
Quà ſtant Leucoreo culta Lyceia ſolo.
Divinæ interpres legis, ſociusq; laborum
In puræ ſtudio relligionis erat.

Perculit

Perculit eloquio, valido ceu fulmine, mentes,
Tanta Periclææ pondera vocis erant.
Materiam verò dederat cùm gratia cœli,
Melle pij sermo dulcior oris erat.
Vim fidei explicuit quâ cœli prendimus arcem,
Sed negat hanc fructu posse carere fidem.
Felix qui seris obijt confectus ab annis,
Ne rerum miseras cerneret orbe vices.

De GEORGIO SABINO.

LAbitur ut vitreâ rivus pellucidus undâ:
Vere novo Zephyri mitis ùt aura sonat:
Sic fluit & culti nitidissima vena Sabini,
Sic lenes numeri verbaq; blanda sonant.
Floribus & varijs ut amœnus pingitur hortus,
Floribus asperſis sic ea scripta nitent.
Hæc mirâ Ausonij capti dulcedine vates,
Hæc rigidè censens Gallia docta probat.
Sic volat auratis super æthera Pegasus alis,
Quem clypeo vatis Carolus indiderat.

De IOHANNE STIGELIO.

GLoria Tirigetûm generoso pectore vates,
Stigelius, *Phœbi Pieridumq; comes.*

Culmina

Culmina Parnaßi quem duxit ad alta Melanthon,
Cujus semper amor curaq; magna fuit.
Sala redundanti complet velut agmine valles,
Talis inexhausto flumine vena subest.
Vena Medusæo fundens de fonte liquores,
Qui dulces Italis vatibus esse queant.
Huic data Peligna vis est & gratia vocis:
Orphæam credas quem resonare chelyn.
Hic Libani sacras duxit de vertice nymphas,
Et stupet Ausonios Iordanis unda modos.
Vallibus Elysiis non hic post fata moratur,
Sed dedit Vranie serta locumq; polo.

De
HELIO EOBANO
HESSO.

QVantum est ingenio famam meruisse perennem!
Niti nec opibus nec sepulchro splendido!
Non fuerat dives vates Eobanus, at ille
Animi viget clarus per orbem dotibus.
Nec tegit exuvias moles operosa sepulchri,
Sed Archimedis vepribus septum ut fuit:
Cespite sic tegitur vatis quoq; vile sepulchrum,
Quà templum Elisæ splendet Hessico jugo.
Dat Deus huic cœlo restantia præmia; terris
Merces sibi virtus & eruditio est.

De

De eodem.

Si tumulum spectes, nunquam vixisse videtur
Laus Hessius ingens Hessiæ:
Si monumenta, annos centum vixisse videtur
Victurus æternos dies.
Nec potuit vati conferre huic Hessia laudem,
Sed ipse laudi est Hessiæ.

De eodem.

Non tua pyramides vates Eobane tuentur
Nomina, marmoreis non opus est tabulis.
Non statuis opus, auratis non Hesse columnis,
Cum tua sint tumuli tot monumenta loco.
Quin monumentum unum superârit cuncta: columnas
Auratas, statuas, marmora, pyramides.

In imaginem
D. HENRICI MOLLERI
S. Theologiæ Doctoris.

VT juga per Libani volitans Thaborisq; cacumen,
Sivè per excelsæ tesqua Sionis, apis:
Libat odoratos præstanti è germine succos,
Et parat arte favos, puraq; mella legit:
Sic quoq; digreditur sacros Mollerus in hortos,
E Solymis referens dona sacrata jugis:

Quæ

Quà vivis scatebris fons Israëlis inundat,
Gratáq; respersâ lympha susurrat humo.
Ille docet Christum, scrutans penetralia Mosis,
Et lyra Davidis quicquid in aure sonat.
Quôq; DEVS primùm est sermone locutus Adamo,
Hôc petit arcanis abdita sensa notis.
Noscite divinas hoc pectore, noscite dotes,
Noscere quas pietas & DEVS ipse jubet.
Hæc apis ætherei spiraminis incita motu,
Ex vatum foliis aurea mella legit.
Quæ pia posteritas communem expectat ad usum,
Si fortè hæc ætas spernere nostra potest.
Noscite divinas hoc pectore, noscite dotes,
Ingratus, qui non hæc videt, ille DEO est.

Ad
Dn. PETRVM CHIRSERVM Cos. Stadianum, de agno ipsi trans Albim misso.

TAm tener & mollis quibus hic ab ovilibus agnus?
Frigora dùm verni vix minuêre dies.
Chirsero hunc misit charo Rotmannus amico,
Trans Albim à rapido flumine, Stora, tuo.
Hic Zuingæ impositam, Storæ regit alter at urbem,
Et Christum hospitio Pierides q; fovent.
Agnus at hic veteris pulchrè nos admonet agni,
Quem gens Isacidum cædere jussa fuit.

Iussaq;

Jussaq; suscepto conspergere sanguine postes,
Stravit ut Ægypti pignora prima DEVS:
Percussitq; homines, pecudesq; : cruore sed agni
Servavit tinctas præteriitq; domus.
Sic animam Christus fundens roseumq; cruorem,
In cruce pro nobis, cæsus ut agnus, obit.
Ipse simul fuerat qui victima, & ipse Sacerdos,
Crimina qui proprio sanguine nostra luit.
Ne perdat nos ira patris, lexq; aspera pœnis,
Aut colubri virus telaq; dura necis.
Nate DEI nostros spargas quoq; sanguine postes,
Signatumq; tegas cæde furente gregem.

De bellis civilibus.

In sua ni proprios Germania verteret enses
Viscera, jam nullo vulnere tarda foret.
Prenderet hæc angues, caperetq; impunè leones,
Viseret & Libanum, Niliacamq; Pharon.
Conficeretq; lupos, & acutis unguibus ursos,
Et pharetras legeret curvaq; tela sibi.
Carperet Alcinoi quin aurea mala per hortos,
Gestaretq; suâ lilia pulchra manu.
Nec Româ inferior quondam foret: at quibus illam
Perdomuit, nunc his viribus ipsa ruit.
Sic Aquila, heu proprias agnosco in vulnere pennas,
Alatâ quondam cuspide fixa refert.

In

In sepulchrum

D. ALBERTI CRANTZII
I. V. D. & Decani Hamburg.

instauratum à

Dn. MICHAELE RHEDERO
Decano & Syndico Hamburgensi.

VOS sacri cineres, veteriq; recondita busto
Corpore quæ gessit Crantzius ossa senex:
Nempè quiescetis vestrâ nunc mollius urnâ,
Quâ tenet erosus signa notasq; lapis:
Non procul à templi foribus, quà plumbea ad Austrum
E tectis pluvias lamina fundit aquas:
Nam pia ad hunc tumulũ Michaëlis cura Rhederi,
Et tabulam, & titulos, effigiemq; locat:
Qui nunc magne tuo Crantzi successit honori,
In patriâ virtus quem dedit alta tibi.
Sic etiam terris sparanti in marmore vivit
Crantzius, & vultus exhibet usq; suos.
Æthere mens superat: præclara volumina veram
Effigiem referunt, signaq; mentis habent:
Quæ procul Europæ nunc sparsa leguntur in oris:
Laudat & ingenium Roma superba viri.
Saxonia indè potens armis, & Vandalus acer
Claret, & Oceani Dania cincta vadis.

Et nive damnatos tollens Norvegia montes,
Et calamo tanti est Suecia nota viri.
Hunc quoq; Germanis texit quos insula terris
Sacratos proceres posthuma fama vehit.
Cui Pallas tumulo suspendit diva coronam,
Quæ viret in clypeo, nomen honosq; viri.
Canaq; Mnemosyne servat monumenta per ævum,
Virtutem Phœbus, Pierides q; canunt.
Sic animo, facieq; manet, famâq; superstes
Crantzius Arctoæ conditor historiæ.

De IOHANNE OLDENDORPIO Hamb. Iurisconsulto.

ALtera Saxoniæ lux Oldendorpius oræ,
Floruit Hessiacis ore stylo q; jugis:
Editus Hamburgi. florens hunc Gallia laudat,
Argutisq; ingens Italis ora libris.
Hinc laudem ingenio quæsivit, opesq; paravit:
Quas nunc sæpè bonis Pieris alma negat.
Nunc patriam tetigit, patriæ qui vixerat extra
Mœnia: Marpurgi condidit ossa solum.

Epita-

Epitaphium
DETHLEVI LANGBECHII IC. Hamburg. qui in insula Balthici maris Fimbria decessit.

LAngbechio Hamburgi Dethlevus stemmate natus,
Temporis hic nostri Bartolus alter erat.
Nominis Europæ cujus laus personat oras,
Qui spes Germani famaq; rara soli.
Hunc sita Balthiaco rapuit brevis insula ponto,
Facta obitu tanti Fimbria clara viri.

De Scriptis
DETHLEVI LANGEBECHII Hamburg. IC.

QVàm benè de longo ducit sua nomina rivo,
Dethlevus generis clara propago sui!
Ingenium, rivi fons: longo è fonte ministrat
Largifluus venâ divite rivus aquas.
Vtilis hinc dulcem doctrinæ percipit haustum,
Publica quem legum cura, laborq; juvant.
Saxa licet cœptis & trunci cursibus obstent,
Haud tamen admisso segnior amne fluet.

Det DEVS hunc rivum latè manare per orbem,
Vt levet hinc multis limpida vena sitim.

In imaginem
HENRICI CNAVSTINI
I. V. D. comitis Aulæ Lateranensis & Poëtæ laureati.

EDitus Hamburgi reſluũ Cnauſtinus ad Albim,
Hac facie, hoc habitu conſpiciendus erat.
Sparſit hic ingenij Germanas dona per oras,
Cui comites fuerant Pallas & alma Charis.
Munere Cæſareo virtutis adeptus honores,
Ex lauri foliis trãdita ſerta tulit.
Hunc vagus in Pontum quà labitur amne Viſurgis
Fovit, & obſtupuit verba diſerta viri.
Hunc ſita Tyrigetũm latis Erfurdia campis
Audijt, & ripis flavus Hiera ſuis.
Hic tumulum ſervat: ſimul Albis, Hiera, Viſurgis
Dum current, vivet nomen in orbe viri.

Epitaphium
GEORGII GÖBELII
I. V. D.

HVic pius ante diem dedit oſſa Georgius urnæ,
Quà pius in Chriſto dormit uterq; parens.

Exitulit

Extulit hunc pietas, geminiq; scientia Iuris
Et titulum studijs Gallia docta dedit.
Septima currebat florentis Olympias ævi,
Cum rapuit rigidâ Parca severa manu.
Pectore tàm culto juvenem quàm corpore pulcro
Sol habuit validum nox tulit atra necem.
Sic rosa purpureum lucis quæ floret ad ortum,
Antè cadit quàm lux altera lustret humum.
Flos brevis hic vitæ est, levis est honor atq; caducus,
Vita sed in Christo certa, perennis honor.

De IOHANNE SOMMERFELDIO, I. V. D.

CVI nomen vetus hoc æstas campusq; dederunt,
Ingenij Iuvenis fertilioris erat.
Sed quod protulerat campus, non mollijt æstas,
Maturos siquidem concidit ante dies.
Contulit huic laudem titulosq; scientia Iuris,
Conveniens studijs & proba vita fuit.
Cana per æstatem languent ut lilia campi
Hæc rosa sic juvenum languida facta cadit.
Pulcher at æterno sub vere redibit in auras,
Exuperans cultu lilia fulva suo.

De Equo aureo
BVRCARDI MITHOBII medici.

PErgameis tacitos ut mœnibus intulit hostes,
Ligneus artifici Pallade factus equus:
Sic tacituma tuus capiti movet arma, Mithobi,
Aureus infuso nectare plenus equus.
Ille equus importat ruptis incendia muris,
Hic equus at capiti tela facesq; movet.

Cistæ
IOHANNIS HOLMANNI.

ARca capax ingensq; domi est & pondere magno,
Ante fores stabant dolia quanta Iovis:
Scrinia sunt angusta etiam sine pondere magno,
Qualia vel gestet virgo tenella manu.
Arca mihi longis promissa reservat ab annis;
Scrinia sed servant præstita dona mihi.
Semper at ista vacant & spe complentur inani:
Arca sed est dudùm pondere rupta suo.
Ergò promißis ne fidite rebus amici:
Nam longè distant præstita pollicitis.

At pro-

At promissa meis ego reddam promptus amicis,
Si modò substituant præstita pollicitis.

De Calumniâ.

ARripit absentes clàm dira Calumnia morsu,
Anguibus & Furijs sævior una tribus.
Antè etiam tacitos aliquis quàm sentiat ictus,
Occidit, illato est vulnere morsq; prior.
Fortia sic livor sapientum pectora rodit,
Hæret, & aspersâ non nisi labe fugit.
Nec contrà medicina datur, nisi morsibus istis
Defensor veri liberet ipse DEVS.

De IOACHIMO CAMERARIO & IOHANNE STVRMIO.

CVM Bembum & puri Sadoletum perlegit oris,
Et ipsa doctorum ferax Germania.
Non habet aut videt hîc quod linguæ laude superbis
Vel possit invidere, vel velit, Italis.
Namq; habet hæc propria duo lumina maxima gentis,
Camerarium gravem, & disertum Sturmiũ.
Quos Cicero ac florens Augusti agnosceret ætas,
Queis, si vigerent, ipsa Athenæ cederent.

De
ESROMO RVDINGERO.

Mar filios Itali laudent & Græcia Gazas,
Budæos celebret Gallia docta suos.
Dum tamen ingenijs felix Germania nobis
Protulit Esromum, *pro tribus unus erit.*
Filius officij consors Iacobus & hæres
Virtutis, tumulo donat honore patrem.

In imaginem
D. MATTHÆI DELII,
Rectoris Scholæ Hamburg.

DElius *hac placidi spectandus imagine vultus,*
Hamburgæ tenuit tradita frena Scholæ.
Miserat hunc sophiæ niveo de monte Melanthon,
Ignotum ut nostris traderet artis opus:
Ausoniæ & Grajæ cultum & discrimina linguæ,
Et quas abstrusas utraq; servat opes.
Rexit & instruxit studio vigilante juventam,
Vitaq; Socratico more peracta fuit.
Virtutem admirans hominum contagia fugit,
Divitias summum qui statuére bonum.
Phœbus at huic ponens laurum Permessidè ripâ,
Nomina cultoris jussit habere sui.

De eodem

De eodem ad Apollinem.

IPse tuum dederas cui, Phœbe, & nomen & artes;
Iunxerat & dotes larga Minerva suas:
Primus hic Aonij fontis me duxit ad undam;
Nec tanti meritò non meminisse queo.
Hinc pia deposcam, Cynthi, si numina versu;
Æquivoco ignarum nomine fallo virum.
Ne tamen ista gravem moveat tibi causa dolorem:
Tu mihi Phœbus eris, Delius ille mihi.

Epitaphium Dn. IOACHIMI MOLLERI præfecti in arce Ritzenbuttel.

HÆC tibi chare pater gnati monimenta locârunt,
Qui clarum Hamburgâ ducis ab urbe genus.
Te reges coluêre tuæ virtutis amore,
Et tibi nobilitas nomen equestre dedit.
Per te relligio patrijs caput extulit oris,
Et fuit hanc natis tradere cura tuis.
Quid? quod & imperio præfectus ab ordine patrum,
Iura dabas populis non sine laude tuis:
Deniq; regnorum cùm tristia fata videres,
Et mœsta ante oculos staret imago tuos.

Iam senio exhaustus, jam rerum pondere victus
Fata subis verâ cognitione DEI.
Vivaq; sensisti moriens solatia verbi,
Quæ sparsit vivens in tua corda λόγος.
Lætus & ad superas concessit spiritus auras,
Quemq; fide coluit nunc videt ille DEVM.
Sic te chara tui veneretur patria cives,
Hujus ut ardebat pectus amore tui!
Sic tua tranquillâ res in statione manebit,
Nulla domi metues, nulla pericla foris.

De
M. EBERHARDO DECCHERO
Musico.

AVdijt ut citharæ dulces Polyhymnia cantus,
Edit ad Albiacas quos Eberhardus aquas:
Mox ait: antiquum quis reddidit Orphea terris?
Non homines tantùm, sed movet ille feras.
Hic sit Saxonicus; fuit alter Thracius Orpheus:
Dulcibus, ambiguum est, præstet uter numeris.

Vita humana
AD
Dn. M. MARTINVM MOLLERVM cos. & poëtam.

Dum

DVM breve mortales in terris ducimus ævum,
Et mors assiduis terret acerba minis:
Dulcia nulla forent humani gaudia cordis;
Intimus & faceret nil superesse dolor.
Spes vitæ in Christo nisi perturbata levaret
Pectora, lætitiæ causa, caputq; novæ.
Me peccata reum fecerunt mortis & iræ:
At mihi per Christum vita, salusq; redit.

De Cicerone.

QVI Pater est patriæ Cicero tibi, Roma, vocatus,
Ausoniiq; parens optimus eloquii:
Quiq; animo & scriptis doctas æquavit Athenas,
Victor cui Cæsar mitis & æquus erat:
Huic canum caput à cervice Antonius aufert,
Et linguam conjunx improba figit acu.
Ora manusq; jacent rostris; quod viva solebant,
Moverunt animos mortua & ora truces.
Huic mortem; exilium tibi Scipio Roma rependit:
Exitio est semper Roma cruenta bonis.

In nuptias
Dn. IOACHIMI WICHMANNI & Catharinæ Eccleviæ.

Sit

Sic tibi succedant fatis pia vota secundis
Tu quia fers decus hoc toro refulgens candido.
Ecce puella tibi venit optatissima lecto,
Dulcis & auricomam quæ nunc per ætatem fuit.
Filius Abrami velut arsit amore Rebeccam,
Sic tibi par amor est, VVichmanne in virgine
Sicq; tibi Catharina: Deo est autore sacratū (tuam:
Conjugium: petere & decora præstat vincula.
Egregij patris tu Sponse exempla secutus,
Consortem thalamo cupis puellam jungere.
Nec tamen indignam: pater est Ecclevius illi
Ex meritis Janus carus potenti principi,
Qui claros certosq; fide sibi jungit, Adolpho:
At Camerariadum est honesta mater stemmatis:
Nunc agitent structis hilares convivia mensis,
Stat jocus in pateris: amor viget per omnia.
Sed faustæ Veneris qui sentis gnaviter ignes,
Tu Ioachime tuam sinu foveto pectoris.
Grata verecundæ conjuncta modestia vitæ est:
Et placet ille Deo servatus in vitâ modus:
In rebus prudens animus, Concordia lecto:
Congruet ille foris, hæc apta quadrabit toro.
Sic vitam exigite ut simul actis mensibus infans
Ore patrem referat, caramq; matrem moribus.

De

De
M. IOHANNE PISTORIO
Conrectore Hamb.

VIsus ad ingenuas natus Pistorius artes,
Qui Sophiæ miro semper amore calet.
Hic suaves Cygni voces audivit ad Albim,
Argutosq; dedit quos Philomela sonos.
Nil ubi magnanimi præstantius ore Lutheri,
Nilq; Melanthoniâ doctius arte fuit.
Hinc juvenem in patriam revocavit Delius urbem,
Musarum ut doctâ mente juvaret opus.
Erudijt teneram Latio sermone juventam,
Cui Ciceronææ gratia vocis erat.
Quæ comis, potuit Suadæq; medulla videri,
Miscuit ut lepido candidus ore sales.
Hoc duce floriferos ego cœpi visere campos,
Structaq; rhetoricis reddere verba modis.
Dona ferunt tumulo Phœbus Charitesq; quotannis,
Nempè suo flores ex Helicone novos.

Epitaphium
WERNERI ROLEVINCII
civis Hamb.

Marga-

MArgaris hæc posuit mœrens monumenta sepulchri
Dulcibus erepti conjugis exuviis.
Qui Rolevinciadûm veteri de stemmate natus
Hamburgâ sedem fixerat urbe suam.
Hic sacris studiis & doctæ Palladis arti
Impendit proprias, more parentis, opes.
Oderat hic animi fucum, tumidosq; Sophistas,
Cadmæiq; odium dissidiumq; gregis.
Si quis at ob Christi verus fuit exul amorem,
Præbuit huic sumptus, hospitiiq; lares.
At Christi meritis cœli nunc arce receptus,
Dulcia munificæ præmia mentis habet.
Qui fuerant comites, candor, Pietasq; fidesq;,
Hìc ad busta sedent, & pia justa ferunt.
Disce bonam simili famam virtute mereri,
Ne tegat impositus nomen & ossa lapis.

In tumulum

D. VITI SCARPHII medicinarum D. & Aromatarii Hamb. qui vixit annos 90.

HAc senior Vitus sibi struxit in æde sepulchrum,
Raptus ut est Vitus junior ante diem.
Ter sex lustra senex vixit: dum viveret, urbem,
Hamburgam coluit: gente Variscus erat.

Quid

Quid cecidisse virum miraris? & ipse Machaon
Et Pæon cecidit, Pæonis herba manet.
Pontificum quoq; vita fugit, cum Cæsare magni
Morte cadunt reges magnanimiq; duces.
Mortuus Hippocrates, cum magno Avicenna Galeno,
Nec tutos radix ulla, nec herba facit.
Nec sua produxit Vitus sibi tempora vitæ,
Qui manibus fecit pharmaca mille suis.
Quid superest ergo, cum sint obnoxia morti
Omnia? quo vita est hæc reparanda modo?
Solus es ô clemens hominum Salvator Iesu,
Qui propriâ mortem morte fugare potes.
Omnia sint mortis, vel nos quoq; morte cadamus,
Morte tamen Christi non ego mortis ero.

Epitaphium
M. IOHANNIS PAPÆ
Pharmacopæi Hamb.

CArpit Iohannes hic dulcem Papa quietem,
Cui, quàm longa fuit, vita quieta fuit.
Quam peperit probitas, sincero & pectore candor,
Et pietas, verâ quæ fuit orta fide.
Hic artes Sophiæ, medicas tractavit & herbas,
Hisce animi curans corporis hisce mala,
Iamq; novem vitæ novies superaverat annos,
Cælica cum vegetis sensibus astra petit.

Cui

Cui fuit hic inter variæ ludibria sortis,
Vita quieta solo, vita beata polo est.

Ad Threnam fluvium.

FLumine Threna tuo qui præterlaberis arcem,
Quâ me nunc ægrum febris anhela tenet.
Quàm tibi de lachrymis nomen manantibus aptum est,
Dum crescis fletu, cærule Threna, meo.
Tempus iners, viridis dum marcens duco juventæ,
Sævior & morbo est hic mihi corde dolor.
Non volucrum cantus, non lustra propinqua ferarum,
Nec vitrei fontes, nec mihi rura placent.
Non sale jucundi, non blandi voce sodales,
Splendida delitijs nec movet aula suis.
Limina nec pulcræ visentes nostra puellæ,
Quæ capiant Ithacì corda severa ducis.
Dùm mihi non licitum est loca culta revisere Musis,
Est animo ac membris nulla medela meis.
Threna vale, & nostros tu serva ad flumina versus,
Quà patulam fagum proxima sylva tenet.
Non semel arcanos ubi fudi pectore questus,
Vt valeam, liceat dicere Threna, vale.

Insigne
D. IOHANNIS A DVTEN
Ecclesiastæ Hamburg.

DExtra quid hæc? & quæ demittitur anchora cœlo?
Quid rutilæ stellæ parte ab utrâq; micant?
Auxilium manus hæc præsens notat: anchora portum,
Sydera bina DEI signa faventis habent.
Nam fratres Helenæ pariter cum lumina promunt,
Nauta procelloso turbine sperat opem.
Aut signant duplicem, legis, partæq; salutis
Doctrinam duplices luce micante faces.
Vnicus & mundo fert anchora sacra salutem
Christus, qui summi dextera celsa DEI est.
Qui verbum cœleste doces oraclaq; vatum
Iane, decent clypeum talia signa tuum.

Pictura status Oeconomici
AD
BARTOLDVM BVSCH.

EN duo pennigeri juvenes splendente coronam
Cœlo ferunt: quod à DEO felicitas.
Hinc & Amalthææ geminum data dextera cornu
Vtrinq; cingit copiâ rerum affluens:
Sic ditat servata fides; hinc quatuor adstant
Vnà puellæ, dispares habitu suo.

Formicis tritum gnavis clypeum atq; ligonem,
Fert prima: bona conquirit hæc, Industria.
Altera habet clavem, quam juxta alvearea spectas:
Servat, ut apis, quæsita Parsimonia.
Tertia sed spicas portans uvamq; rubentem;
Ornat benignum Liberalitas virum.
Quarta crucem librumq; manu tenet, aurea frontem
Stella ornat: hæc Pietas bonos beat viros.

AD
D. HENRICUM AB HOLTE
J. U. Doct. de traditâ sibi
laureâ.

NOn sum laudis amans, magnos neq; poscit honores
Hoc genus, at Musæ comis amator eram.
Præmia tanta meo tamen hæc si dantur amori;
Eja tegat nostrum laurea missa caput:
Laurea quam Divus mihi donat habere Rudolphus
Romanum Cæsar qui tenet imperium.

Ex dicto Demosthenis de civitatum legibus.

DUm mens ac anima est humano in corpore, vitam
Homo trahit, sine animâ sed cadaver est.

Sic

Sic dum lex & jura vigent, habet inclyta vitam
Et civitas, sine lege quæ cadaver est.
Lex vita est populi, vigilat cùm sancta per urbem
Iustitia, puniens malos servans bonos;
Quæ gladium strictum gerit, æqualemq; bilancem,
Sic alma Pax, salusq; floret publica.
In libro hoc spirant leges sacrataq; jura,
Vno ore in urbe quæ loquuntur omnibus.
Legibus Hamburgum crevit, nunc vivit, honestis
Potens, & laude juris erigit caput.

Epitaphium infantis Filioli
Dn. IOHANNIS TRAIECTINI.

VIvus eram, gravidâ matris cùm clauderer alvo,
Plenaq; perfecti membra vigoris erant.
Mortuus in lucem, fatis urgentibus, ibam,
Filaq; sunt pullâ vix benè nexa colo.
Ne pater indulge gemitû, nec tu optima mater,
Difficilis partus quam labefecit opus.
Non casu fieri, non hæc sine Numine possunt,
Sors ea visa Deo est, mors ea grata Deo est.
Me rapuit Christus, tractam genitricis ab alvo
Qui labem roseo sanguinis imbre lavat.
Parvus in hac florens ego vivo vite racemus,
Christus in hoc vitam palmite vitis agit.

Pulcrior hinc surgo cœli felicibus oris,
Terra vale, rixæ prodiga terra vale.

De Melibœo Pastore, sive Dn. IOHANNE STVRIONE Theologo.

TE raptum Melibœe greges, te pascua, & undæ,
Pastores etiam te doluére pii.
Stant muti mœrore greges, sunt pascua nuda,
Quin & rore carent pascua, lacte greges.
At dulces undæ nuper, nunc heu sed amaræ,
Pro lymphis tepidas devoluunt lacrymas.
Pastores sed laude vehunt, per rura, per urbes,
Carminaq; incidunt undiq; corticibus.
E sylvis motus Melibœus ad astra, docebat
Astra sequi, in sylvis quas modò pavit oves.

Cl. V. Dn. GVILIELMO MOLLERO J. V. Doct. è Legatione redeunti.

DVm procul ad gelidam profecisci cogeris Arcton,
Quà jacet æquoreis Dania cincta vadis:

Quòd

Quòd fueris noſtram Guilielme reverſus ad Vrbem,
Commiſſum noſtræ qui geris Vrbis onus:
Spumea nec Belthis fluctu, nec turbidus aër
Tabe nec urenti frigore læſit hyems:
Lætatur ſimul Vrbs, gratatur in urbe Senatus:
Pro reditu votum fecit uterq; tuo.
Quasq; Deo debent, jam ſolvunt publica grates
Templa, ſimul votum ſolvit uterq; ſuum.
Sitq; tuo longè Reſpublica munere felix
Optant, qui linguâ conſilioq; vales.

De
Dn. PETRO CHIRSERO LL. Licent. & Reip. Stadianæ Conſule.

INdigus haud laudis, cum non agnoſceret amplum
Quod meritò tribuit candida fama decus:
Chirſerus renuit laudem: at non optima Virtus,
Cultorem paſſa eſt laude carere ſuum.
Ipſa ſed externis famam vulgavit in oris,
Chirſerum hinc niveis Gloria portat equis.

AD

M. IOACHIMVM TEGENERUM Pastorem Hamb. De piorum afflictione.

CRux, pia sollicitis adfligit pectora curis,
Inq; bonos variâ perfurit arte Sathan:
Exilium à sævo vis & venit impia mundo,
Orbe tyrannorum crescit ubiq; furor:
Ensis ab Hesperijs & Eois stringitur oris,
Inter & heu fratres pessima serpit Eris.
Felix, à Christi quem non divellit amore
Crux, Sathan, exilium, vis, furor, ensis, Eris.

AD

Dn. IOHANNEM TRAIECTINUM Ecclesiasten Hamb. de dissensione in Ecclesia.

SAnguine Mars terras, belliq; tumultibus implet:
Corpora luxuries dat gula mille neci.
Seditione furit mucro sociosq; trucidat:
Sævior est belli turbine dira fames:
Styx nigra submersos vitijs rapit atq; coërcet:
Obruitur tumido naufraga turba mari:

Tecta

Tectaq; sæpè vorant rapidis incendia flammis:
Infectos subitò tollit acerba lues:
Omnia vincit Eris doctorum quæ mala portant
Mars, gula, mucro, fames, Styx, mare, flāma, lues.

AD THEODORUM SIMONEM Ecclesiasten Hamb. de fragilitate humanæ vitæ.

FLos cadit, auroræ modò qui fulgebat ad ortum;
Præterit exiliens fornice vivus aqua;
Imbre natat gravido, sed mox vaga bulla resīdit:
Frangitur & leviter splendida massa vitri;
Dulcis abit subitò languenti pectore somnus,
Excita cùm studio est mens generosa suo:
Vmbra velut speculo levis evanescit imago:
Avolat in ventos missus ab ore sonus:
His citiùs cadit omnis homo, licèt omnia fluxa,
Flos, aqua, bulla, vitrum, somnus, imago, sonus.

AD M. GUERNERUM ROLEVINCIUM, Scholæ Hamburg. Rectorem, de quatuor anni temporibus.

VER.

FLos oritur, primo quem vere Favonius afflat,
Cùm certat modulans Daulias inter aves:
Induitur foliis procera virentibus arbor,
Lenis odorato rure susurrat apis:
Muscoso saliens fons limpidus exit ab antro,
Proxima Plejadibus ridet & alma Venus:
Mollibus herba toris viridantia pascua vestit,
Mugit & in riguis vallibus ore pecus.
Omnia floridulam pingunt hæc vere juventam,
Flos, avis, arbor, apis, fons, Venus, herba, pecus.

ÆSTAS.

FAlce secat nitidâ flaventes messor aristas,
Et sub sole viros torquet anhela sitis:
Nuda ferunt passim congestos arva maniplos,
Statq; coronatis crinibus alma Ceres:
Plaustraq; tunc onerant gravidæ stridentia spicæ:
Personat & streperis nota cicada sonis:
Solis ab ore Leo, Sol ardet ab ore Leonis,
Implicat his flagrans lumina sæva Canis:
Sicca viros solidis designat viribus æstas
Falx, sitis, arva, Ceres, spica, cicada, Canis.

AVTVMNVS.

NVX legitur pueris matura sub arboris umbrâ:
Et bos detonso gramine pinguis abit:

Plena

Plena rubet sese flectentibus uva racemis:
Uvida dant spumans sub pede præla merum:
Saltibus errantes porcos glans nutrit in altis:
Arbor & aëryis intremit alta pyris:
Suave coloratis arbor nitet ardua pomis,
Crassa securiferâ sus cadit icta manu:
Cuncta sub Autumno maturos dantur ad usus,
Nux, bos, uva, merum, glans, pyra, poma, sues.

HYEMS.

COnstruit Halcyone seros avis æquore nidos:
Cùm glacies fluvios frigore densa tegit:
Incidit hirsutæ cum nox longissima brumæ,
Ægoceri torvum sole petente caput:
Horret per sylvas, per rura, pruina, per hortos,
Et densæ volitant alba per arva nives.
Decrepitam depingit hyems inamœna senectam,
Halcyone, glacies, bruma, pruina, nives.

De studio Philosophico

AD

D. SEBASTIANUM A BERGEN L. & Senatorem Hamb.

SVave, renascenti sub vere per arva vagari:
Suave, recens natam carpere manè rosam:

Suave, graves epulis mensas cùm vina coronant:
Suave, sub argutâ cùm sonat aure chelys:
Suave, nemus vitreâ fons sicubi perstrepit undâ:
Suave, virescenti ponere membra toro:
Suave, novis ridet cùm frondibus hortus & herbis:
Suave, modos varios cum vaga promit avis:
Suavior est Sophiæ doctrina, nec anteferenda
Ver, rosa, vina, chelys, fons, torus, hortus, avis.

De ejusdem nuptijs.

Dulce quidem rutilis superat fulgoribus aurum:
Dulcis & adspectu est lucida gemma suo:
Grata Ceres plenas campis quæ præbet aristas:
Grata nitet varijs vestis & apta modis:
Iucunda est, per quam redolet vis thuris, acerra:
Iucundus vino qui lavat ora scyphus:
Gratior est thalamus: dulci superantur & usu
Aurum, gemma, Ceres, vestis, acerra, scyphus.

HEN-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0192
DFG

HENNINGI CUNRADINI Poëtæ Laureati *Epigrammatum* Liber II.

Ad Magnificum, Amplissimum, Clarissimum & prudentissimum virum

Dn. EBERHARDUM TWESTRENGIUM J. V. L. reipubl. Hamburg. Consulem dignis.

QVi premeris gravium civili pondere rerũ,
Et Themidos tractas munera sacra Deæ:
Ocia qui rarò captas modò libera vatum;
Quæ tu dans aliis subtrahis ipse tibi
Tu quoq; par fueras venerandis ore Poëtis,
Quos tulit Ausoniis Teutonis ora modis.
At tibi utrumq; Deus tribuit, quo munere flores
Iure fori, sacris Pieridumq; choris.
Illud donat opes & vitæ præbet honores:
Hoc sed mortales non sinit esse suos.
Si, qui se studiis ornare fidelibus ardent,
Grata labore via est: grata labore via est.

Ad

Ad Poëtas Germaniæ.

VOs quibus insigni vis est in carmine major,
Argutaq; dedit Musa placere Chely:
Teutonici vates hæc æquo agnoscite vultu,
Magnus amor vestri, sed mihi vena minor.
Dissitus à vobis, Boreæq; remotus ad axem,
In mare quà gelidus volvitur Albis, ago.
Cogit Hyperboreum fontes ubi frigus & amnes,
Longaq; brumales contrahit umbra dies.
Et mirum: tenuis si vena est frigida Musæ,
Et tardet teneros vix glacies q; pedes?
At cùm purpureo tellus se vere remittet,
Mollius à Zephyris lympha soluta fluet.

De obitu
Dn. PETRI A SPREKELSEN Conf. Hamb.

PEtrus ut exuvias terrenis liquerat oris,
Ipse sed Elysiâ valle receptus erat:
Sensit abesse virum mox curia, qui simul ipsam
Consilijs, urbem rexerat imperio.
Vrbs simul ingemuit: gemitum quoq; curia rupit:
Hoc solata fuit spes sed utramq; modo:
Vos si doctrinæ prudentia juncta revisat,
Curia florenti gestiet urbs q; statu.

De

De umbrâ Lyantis.

Quem tacitè exedit vivum dolor, umbra Lyantis
Hunc tumulum tenui pulvere mista colit.
Scilicet ille suo quam corpore sparserat umbram,
Vno perpetuò stans q; dolens q; loco:
Hæc nequit à domino cineres amplexa revelli,
Consuetâ sed adhuc mœret & hæret humo.
Heu curas hominum! mirum quod plurima mœror
Pectora non duros transferat in lapides.

Annus obitus HENRICI II. Gallorum Regis.

GaLLUs oVans fULVa fULIt Ut LUCtatUs arena,
LILIgerUM qUatIens perforat hasta CapUt.

Aliud.

GaLLUs Ut eXhIbUIt pUgnas HenrICUs eqUe-
InCIta LILIgerUM transIIt hasta CapUt.

De pyris puellæ missis.

Nata Jovi fuerat quondam sine matre Minerva,
Junoni natus Mars sine patre fuit.

Belliger

Belliger est tacto productus flore sub auras;
Edita sed Pallas semine nientis erat.
Ac sine patre gravis Iuno simul edidit Heben,
Lactucis ut erat improba pressa fames.
Res licet ista fidem veri superare videtur:
Non superat veri res tamen ista fidem.
Nam pyra sunt nuper languenti missa puellæ:
Corpore languor abit, pondera venter habet.
Quid validũ Martẽ? quid & Heben? quidvè Minervã
Miraris? si nunc vis ea tanta pyris!

De
D. MARTINO MOLLERO
Cos.

CAllimachus Grajo, Latio simul ore Marullus
Confictos celebrant Grajus uterq; Deos.
Vatibus antiquis equidem nil derogo laudis,
Dignior at, Christum qui canet, ille mihi.
Dùm canit hunc nobis patrium Mollerus ad Estam,
Callimachus numeris, arte Marullus erit.

Tumulus Filioli
M. IOHANNIS STURIONIS
Theologi Witeberg.

HIC

HIC tener ereptus, fatis properantibus, infans,
Ossa simul clausit, spemq; parentis, humo.
Vix quater orta novum Phœbe reparaverat orbem,
Concessæ spacium dùm breve lucis agit.
Vt rosa, quæ croceos aperit se Solis ad ortus,
Læsa vel ungue perit, lassa vel imbre cadit:
At Christus primæ teneros ætatis alumnos
Alliciens, ulnis suscipit ipse suis.
Libat & Ambrosiam spirantibus oscula labris,
Sydera promittens lætitiamq; poli.
Spes hæc viva levat genitricis ab ubere raptos:
Sub Christi æternùm vivitur imperio.

Epitaphium
MIRZII AVRIGÆ,

MIrzius excedens terris quâ conditur urnâ,
Hac aurigarum est tota sepulta fides.

De versificatore.

Versifices inter, meretrix velut improba, prostas,
Vt parias famam carmine remq; simul.
Luderis eventu: jactura utriusq; dolenda est:
Nam perdis famam carmine remq; simul.

AD

AD
IVSTVM POLITAM
medicum.

Hospitibus mos est fragrantis dona Lyæi
Mittere, quos meriti candida fama vehit.
Iuste, sed hæc dives tibi sufficit aula potentum,
Nec mihi sunt veteri vina reposta cado.
At mihi Pegaseis haustæ sunt fontibus undæ,
Quæ, si post Bromium te relevare queant:
Prodigus has fundam, & Phœbum Musasq; precabor,
Vt mihi fontis eant uberioris aquæ.

AD
SEVERINVM GOBELIVM
medicum.

Dum, Severine, feris resonantes pollice chordas,
Post epulas referens carmina grata DEO:
Excita subsiliunt dulci mihi pectora motu,
Iucundusq; rapit me super astra sonus.
Vt verò tali celebraris Numina cantu,
Crediderim Angelicum plectra dedisse chorum.

Symbo-

Symbolum
HECTORIS MITHOBII
medici.

VIRESCIT VULNERE VIRTUS.

EXcita vireſcit generoſo in pectore Virtus,
Saucia quandò gravi vulnere facta fuit.

AD
MONTANVM.

INdoluit Phœbus quod te, MONTANE, Cupido
Maternâ in caſſes traxerat arte ſuos:
Mox ait: annè meus mea caſtra relinquet alumnus
Idaliamq; mihi præferet ille Deam?
Sed retraham monitis, morbusq; invaſerat ægrum,
Et puer iſte ferat jam tibi (dixit) opem.
Curet Apollo tamen, ſi iu, Montane, puellam
Eligis, & turpi pectore mitis anum.

AD
GEORGIVM NIGIDIVM
belli præfectum.

QVi tractas ſimul arma manu, qui pollice chordas:
Et Martem, & Phœbum conſocias Nigidi.

De eodem.

UTrius es Nigidi? quoniam Mars invidet alma
Te Chariti: Marti te invidet alma Charis;
Hanc dirimit litem Pallas, quæ Cypride pulsâ,
Cum valido Charitem jungere Marte docet.

Ad Citharam.

EST Citharæ mihi dulcis amor, sed dulcior esset,
Si chordis semper consona corda forent.

Venus & vinum.

QVi Bacchum Veneremq; colunt his roboris ambo,
Mentis, opum, famæ nil faciunt reliquum.

De Zytho Hammoniaco.

CùM me flava Ceres Musarum accedere fontem,
Atq; sitim gelidâ pellere vidit aquâ:
Præbuit expressos granis mihi diva liquores,
Quos me pro gelidâ sumere jussit aquâ.
Pace tamen Bacchi, qui se permiscuit undis:
Sedet ùt hòc melius limpida lympha sitim.
O bona, suppositum quæ vincis odore Lyæum,
Grata colore tuo es grata sapore, Ceres.

Epi-

Epitaphium
CUNRADI LAMPADII CIvis Hamb.

HOSPES. CIVIS.

H. QVi situs hic civis est? C. fuit olim fulgida lampas.
H. Fulgor hic undè fuit? C. gloria vera dabat.
H. Hanc, age, quid peperit? C. meritum, candorq; fidesq;:
H. Undè ea? C. vis animi præstitit alta pji.
H. Quid primùm hunc movit? C. virtus. H. qui lampada verò
Submovit? C. mors id durior ausa fuit.
H. Num frustrà? C. cuncta in cinerem mors vertit: at ipsa
Fulgidior lampas nunc micat ex cinere.

Epitaphium
Dn. HERMANNI LANGEBECK.

IC. colloquuntur Hosp & civis.

H. QVis jacet hic? C. Doctor juris legumq; peritus
Et meritò patrii gloria magna soli.
H. Quo patre prognatus? C. Doctore & Consule claro,
Quo non majorem hæc Saxona terra tulit.
H. Quæ dotes animi? C. sapiens fuit atq; disertus,
Iusti æquiq; tenax, religione pius,
H. Quæ fortuna fuit? C. patriis contentus, opimas
Turpiter haud studuit cogere avarus opes.

H. *Annè magistratus? C. privatus vixit, acutis*
Gaudens consiliis posse juvare reos.
H. *Num cœlebs? C. minimè, conjunx quæ contigit, omni*
Moribus ac formâ parte beata fuit.
H. *Qui finis? C. placidus, mediocri namq; senectâ,*
Defunctâ dulci conjuge, fata subit.
H. *Si verum memoras hæc qui responsa dedisti,*
Nestoreos annos dignus habere fuit.
Sed quia sunt cunctis sua stamina certa, sepulto
Vt sit cum superis altera vita precor.

In Conventum
ODENSEHICVM IN DANIÀ habitum Anno 1589.
3. Maji.

AVrea Danjacis jam pax florebat in oris,
Et finita feri præha Martis erant:
Iam viguit toto felix opulentia regno,
Dum regis Arctoas Rex FRIDERICE plagas;
Cognatæ deerant sed adhuc rata fœdera stirpis,
Hoc etjam sapiens Rex meditatur opus.
Mox veniens niveis Concordia fulserat alis,
Fidaq; erat regi Principibusq; comes.
Huc duo jam tendunt Holsatæ lumina terræ,
Dux & IOHANNES, dux & ADOLPHVS adest:

Venit

Venit ad hæc regis frater quoq; fœdera IANVS
Iunior, & pacis fecit amore vias:
Hi cum rege pio dextras & pectora jungunt,
Et firmant ſtabili pacta novata fide.
Danica nobilitas ſteterant Holſataq; teſtes
Quæ fuerat regem, quæ comitata Duces.
Huc virides geſtant Pax & Concordia lauros,
Vt cingant regis tempora & alta ducum.
Lætaq; adeſt terris hùc pleno copia cornu,
Temperat & Nereus per freta ſalſa Notos.
Ne tamen hæc ſeris ignota nepotibus eſſent,
Latiùs hoc ferri poſſet & orbe decus:
Ingenio præſtans Crugerus, ut alter Apelles,
Teutonico pinxit geſta duces q; ſtylo.
Qui legis hæc, dices, FRIDERICVM condere Regem
Ad Boream populis aurea ſecla ſuis.

In nuptias
Dn. PETRI BOII, PRÆPOſiti in Auſtrali Dithmarſiâ & Catharinæ Penshorn.

CVm tua jungatur, Præſul celeberrime, caſto
Sacrati thalamo tradita nata viri:
Extima præpoſitum quem nunc Meldorpia ſervat,
Quà ſita Dithmarſi jugera culta ſoli:

Felici socium modò gratulor omine lectum
Egregiæ sponsæ, conspicuoq; viro.
Qualis Abrahamo juncta est Cetura marito,
Floruit & sacro nupta secunda toro:
Talis Petre tibi juncta est Catharina marito;
Floreat hæc licito casta puella toro!
In medijs resonant quot turturis oscula sylvis,
Iucundo sociæ quæ dat amore suæ:
Tot Petrus nunc blanda suæ parat oscula sponsæ,
Et placidi virgo perstat amore viri.
Crescat in hoc soboles thalamo, quæ cœlica tractet
Jura imitata patrem, quæq; imitetur avum.
Hic quà Davidis linguæ facundia claret,
Doctrinæq; gravis maxima dona viri:
Quà laus Hamburgæ nunc personat urbis olympum,
Quæ juvenum studijs nobilitata viget.

AD
Dn. PETRVM BOIVM
Præpositum.

Conjugium vitæ dulcissimus accidit usus;
Dat sobolem, thalami pignora cara, DEVS:
Rem quoq; suppeditat, jucundaq; commoda donat:
Ac stabili certam prosperitate domum:
Ara sacros cultus designat & omnia firmat:
Nos decet in dubiâ fundere sorte preces:
In qua concurrunt, hæc, Boj, vita beata est,
Conjugium, soboles, res, domus, ara, preces.

Epi-

Epitaphium
D. MEINHARDI CROGERI, pastoris in templo D. Georgji. Hamb.

OCcupat hoc tumulo Meinhardi mẽbra Crogeri
Fessa senectutis pondere grata quies.
Qui juvenis studio pietatis claustra subivit,
Vrbs ubi de Lunâ nomina prisca tenet.
Rexit & hic socios, & sacros gessit honores,
Omnia adhuc tenebris quando sepulta forent:
Sed duce cùm verbi lux fulsit oborta Luthero,
Accensus verâ religione fuit.
Mox & opes fluxas vanosq; reliquit honores,
Et Christi servus maluit esse sui.
Iura ministerii suscepit publica sacri,
Et docuit solam justificare fidem.
Effulsitq; potens verbo vitâq; probatâ,
Hac vigil erudiens pastor in æde gregem.
Ter denos pius hic duravit cursus in annos,
Et prudens animo & pectore mitis erat.
Lustra senex vitæ ter quinq; peregit & annum,
Cùm fuit in Christum vectus ad astra fide.
Filius officii consors Iacobus, & hæres
Virtutis, tumuli donat honore patrem.

Ejusdem insigne ex lib. cant.

SICVT LILIVM INTER SPINAS.

VT medias inter candentia lilia spinas
Attollunt, quamvis undiq; fixa, caput:
Sic Sathanæ variis Ecclesia saucia telis,
Defensum à Christo tollit ad astra caput.

Aliud.

Inter ùt hamatas stant candida lilia spinas,
Sic pius in mediis stat̃q; viretq; malis.

De amicitiâ
WERNERI ET CHRISTOPHORI CORNERI.

QValis inest animæ dulci cum corpore nexus,
Cùm sine dissidio cùm sine lite manent.
Guernerum similis Cornero jungit amoris
Nexus, & in gemino corpore pectus idem.

De morte
Dn. ERTMANNI COPERNICI Professoris Francofurt. ad Oderam.

Ert-

ERtmanni exuvias merſit mors invida terris,
Nixa fides animam vexit ad aſtra Deo,
Quæ capit Abrami in gremio ſecura quietem,
Dum migret poſitas rurſus in exuvias.
Vere obijt raptus, non verè raptus: abivit
Vt vere æterno latior huc redeat.

Vita Chriſtianorum.

CHriſtus amor noſtri: Chriſti qui ſervat amorem,
Strenuus hic vitæ nulla pericla timet.
Per varios caſus, per mundi mille labores,
Tendimus in regnum maxime Chriſte tuum.

De AVICVLA, EX INSVLA Canariæ delatâ.

DAulias in ſylvis; frutices canit inter Achantis:
Aeriis volitans cantat Alauda plagis:
Alta ſedens quercu reſonat Fringilla viranti,
Allicit & propriis qualibet uſa modis.
Mittit ab Heſperio Cannaris at inſula ponto
Flexibus innumeris quæ modulatur avem:
Æmula noſtrates hæc provocat ore vulcres,
Vnaq; pro noſtris quatuor eſſe cupit.
Aut fallit ſuavis peregrinæ gratia vocis;
Aut aptè noſtras hæc imitatur aves.

Quidquid erit: nostras quò molliter ore lacessat,
Germano æternum gaudeat ipsa solo.

Vulpecula.

ESuriens viridi conspexit in arbore vulpes,
Quæ fuerant grato tincta rubore pyra.
Callida mox iterat villosæ verbera caudæ,
Arbor ut incussis intremat alta comis,
Nulla sed immoto videt ut pyra stipite labi:
Nec volo, sint acida hæc cùm pyra prorsus, ait.
Tu quoq; te cohibe quem virgo recusat amare,
Et dic, non est hæc pulchra puella satis.

Epitaphium
WERNERI. filioli M. JOACHIMI TEGENERI Theolo.

HOc tegitur saxo teneris præreptus in annis,
Qui puer ampla sui spes genitoris erat.
Vixq; triennis erat, cùm mors spem lusit opimam,
Filaq; præsecuit mersit & ossa solo.
Ossibus est sedes præbetq; cubilia tellus,
Absconditq; suo corpora tecta sinu:
Transeat offensi dum fervida Numinis ira,
Peccati precium mors quia triste manet.
Filius hic iræ fuerat: sedata sed iræ
Effuso Christi sanguine flamma fuit.

Quo

Quo simul exempta est purgato corpore labes,
Mors ipsa extincta est umbraq; sola manet.
Mors hic mors non est, gelidáo sed condita busto
Alligat in Christo molliter ossa sopor,
Cujus nunc viridi frondens in vite racemus,
Æterni faciem pullulat ante patris.

Epitaphium patris sui.

HOc sua composuit Bernhardus membra cubili,
Libera mens Christi morte recepta polo est.
Quinq; ter in viridi numerabat lustra senectâ:
Vixit in hac placidè clausit & urbe diem.
Exemplum veteris secli fulgebat in illo,
Indè bonam vitam fama secuta bona est.

Epitaphium matris suæ.

HIC natas complexa suas carumq; maritum
Anna, sacras templi conditur ante fores.
Quos coluit vivens simul hos coluére penates,
Prolis amor, pietas, conjugiiq; fides.
Dicere plura vetor natus: mens dedita Christo
Iustificâ cepit regna beata fide.

Ad

AD TVMVLVM ANNÆ SORORIS.

HOc tumulo charum juxta jacet ANNA parentem
Filia quæ viduæ spes genitricis erat.
Nubere debuerat mortali, at pulchrior illam
Ex humili duxit sponsus ad astra loco.
Pascit amor cœli mentem, sopor ossa revincit.
Ornârunt vivam gratia, fama, pudor.

Ad sepulchrum.

PRo magnis meritis hæc natus utriq; parenti,
Parva dedi lachrymis tincta sepulchra meis.

Epitaphium

ADOLPHI A VOLMA Reipub. Stadianæ à Secretis, & MARGARITÆ uxoris.

HIc pia cum caro sita MARGARIS uxor ADOLPHO:
Rapta viro tamen hæc sed prior uxor erat.
Quandò calens animo, vir corpore languidus, inquit:
Sic mea vita cadis: Sic tua vita sequor.

Vt

Vt nunc in gelido condo tua membra sepulchro,
Sic condo in membris me simul ipse meis.
Christe DEI fili, tibi me commendo meosq;,
Conjugis adjungens ossibus ossa meæ.
Vt torus unus erat: cor & unum: corpus & unum:
Vitaq; ut una fuit, mors sit & una precor,
Iunxit amor thalamo: tumulo mors junxit & uno:
Vna tulit, vitæ reddet & una dies.

Ex Græco Platonis.

FOrtè venus Musis: Venerem colitote puellæ:
Aut meus hic in vos arma parabit Amor.
At Musæ Cypridi: stolida hæc age spicula Marti:
Nil puer hic in nos juris habere potest.

In sepulchrum Juvenis.

EN pulvis hic juvenis fuit, cui contulit
Iuventa robur Herculis.
Hic Absolone & Nereo formosior:
Pernicior q; virgine
Fuit Camillâ, & virgine Scœnëiâ:
Midâq; rege ditior.
Sed Bacchus illum vicit, & vicit Venus,
Mors stravit atq; sopiit.
Quid forma, & aurum, & robur, & velocitas?
Quatuor tribus si subjacent.

De

De insaniâ Amoris.

ACtus amans Furiis, crudeles morte dolores
Finiit, hæc affert præmia, dixit, Amor.
Haustus ab ense cruor: sub cespite corpus inane est:
Mœstus Avernali spiritus amne gemit.
Heu spes ferales, & atrocia gaudia amantûm!
Mellea tabificus pocla cruentat Amor.

Casus QVO QVIDAM EX SVA matre & seipso susceptam filiam duxit uxorem.

NAta, parens, frater, socer, uxor, virq; genercq;,
Neptis, & hæc genitrix, hic avus, hæc avia:
Nupta, socrus, natus: numero non multa putabis,
Tota, sed hìc tantùm corpora terna, domus.
Sic Cinyræ perhibent arsisse libidine Myrrham,
Et patris infandum nocte subisse thorum.

In rogum Didonis.

IGnibus ardebas vivens, & tota madebas
Fletibus, ùt Dido te miser ussit Amor.
Ignibus ardebas moriens, & tota fluebas
Sanguine, cùm gladio concidis atq; rogo.

Et

Et lachrymas sanguis, flammas & flamma secuta est.
Sic miser haud unâ morte necatur amans.

In tumulum DITISSIMI CVIVSDAM & miseri.

HAberet hic cùm cuncta vitæ commoda,
Nec sese haberet, perdidit tùnc omnia.

Prodigium, & anni numerus.

QUoDpeCCăt nostroBeLLona, LIbIDo, TyrannIs
SangUIne, taCta reCens sangUIne stagna notant.

Ad tumulum Dn. MARTINI CROGERI.

HOc situs in tumulo, sacram Martinus ad aram,
Christicolæ pastor bis duo lustra gregis.
Magnanimum coluit juvenili ætate Lutherum,
Quandò recens verbi lux patefacta fuit.
Intrepidè Christum fassus tunc corde receptum;
Vi pulsus patriæ finibus exul abit.
At DEUS Holsatas grandævum duxit in oras,
Hospitiumq; seni, pignoribusq; dedit.
Hìc pia mens vario tentata est Dæmonis æstu,
Quem pepulêre preces, ignea tela fides,

Vinci-

Vincimus in Christo, Christi victoria nostra est:
Sub quo lex, Erebus, culpaq; morsq;, jacent.

Facundia muta.

QVid stas hospes? in hoc tumulo nunc muta silescit
Vocalis fuerat quæ modò lingua foro.
Provida si semper tacuisset quandò locuta est,
Nec jam nunc mutens lingua diserta foret.

AD TVMVLVM HERMANNI proavi sui qui in pago Metel, in regione Brunsuicensi, unà cum cum conjuge sua ADELHEIDA *vixit annos octoginta.*

HIc cum longævâ longævus conjuge conjunx,
Sub viridi junctum cespite corpus habet.
Tres vir olympiadas, centum superavit & annos:
Hoc duplici lustro sed minor uxor erat.
Octo bis in socio vixerunt lustra cubili,
Facta nec est unquàm turbida lite domus.
Duriter in terris plus toto exercita seclo,
Nunc levat in Christo molliter ossa quies.

De

De conjugio ipsorum.

NVmquid adhuc tremulâ vir posset amare senectâ
Decrepitam uxorem fortè rogatus, ait:
Tàm mihi cara mea est, licèt ægra, effœtaq; conjunx
Quàm primo in thalamum quò mihi ducta die est.

Ænigma.

DIcite vos nuptæ, quibus in regionibus uno
Nata simul virgo est, factaq; nupta, die?
Cumq; suæ nondum vitæ compleverat annum
Quæ sobolem genitrix edidit? Eva fuit.

Aliud.

DIc age, dura cibus quandò jejunia sensit,
Passaq; lympha sitim est, lassaq; facta via est.
Appellat se Christus aquam, panemq;, viamq;:
Quem subiêre fames, languor, & arcta sitis.

Aliud.

COnspexêre duæ venientem fortè puellæ
Rure senem: cùm sic altera voce refert:
Eccè pater tuus, ecce meus, meus atq; tuus vir,
Idemq; utriusq; pater prolis, avusq; venit

Tùm senior : salve utraq; filia, & utraq; conjunx,
Salve & utrq; mihi nate, & utrq; nepos.
Excipiunt nuptaq; virum, nataq; parentem,
Et patrem agnoscit natus, avumq; nepos.

Literæ commendatitiæ.

CHirserus celebri me commendârat amico,
Chartaq; multiplicis plena favoris erat.
At laudatrices casu periére tabellæ,
Laus omnis periit quam tenuére simul.
Si valet in fragili tantum laus scripta papyro :
Nil fateor laudis jam superesse mihi.

Avarus.

AVrum & opes, & lucra freti miratus avarus,
Omnia momento quæ periére levi.
Non ità dura chalybs rapitur magnetis ad oram,
Appetit & sitiens non ità messor aquas :
Quàm sitit & rapitur studio malesanus habendi,
Divitiæ nimiùm cui placuére semel.
A tergo insequitur Nemesis noctesq; diesq;,
Abdita sub tenebris famaq; & ossa latent.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0216
DFG

De victoriâ VENETORVM ADVERSUS Turcas, ad Naupactum in mari Disticha numerum anni complectentia.

VICtor oVat VenetUs, NaUpaCtUs teſtIs: at aUDaX
ObrUtUs IonIo VortICe TUrCa CaDIt.

Aliud.

EXULtat VenetUM NaUpaCto CLaßIs AChIVa,
SæVVs at IonIas TUrCa ſUbIVIt aqUas.

Aliud.

ThraX CapItUr peLago: VenetUs Leo CLaſse trIUMphat:
SuſCIpIt Ut CeLeres trUX nepa ſoLIs eqVos.

Adventus Ducis ALBANI in Belgicum.

HeſperIIs VeLoX ALbanVs CVrrIt ab VnDIs,
QVI DVCIbVs BeLgIs ſVſtVLIt enſe CapVt,

De Gothâ captâ.

GOtha sVb AUgUsto DVCe VICta, rebeLLIs & arX est:
FaX beLLI CInIs est: seDItIoq; patet.

De clade Gallicâ.

OCCVbat AMraLIs, regnat perIVra TyrannIs:
GaLLIa & à soCIIs Cæsa CrVore natat.

AD Dn. HENRICVM DE FOSSA canonicum Hamburg.

ESt aliquid prisco celebrari stemmatis ortu,
Et magnum à claris ducere nomen avis.
Nobilis æternos sed virtus vincit honores,
Clarior & Phœbo syderibusq; micat.
Pendet ab hac solâ generosæ stirpis origo,
Hac quasi stat solido gloria fulta pede.
Si virtus frigeat famam quæ tollit Olympo,
Sanguinis antiqui gloria tota jacet.
Optime tu verò Fossæi sanguinis hæres,
Non generis tantùm laude vehendus eris.
Ipse quod in scriptis quondam facundus Erasmus
Extulit, ad ripas cœrule Rhene tuas.

Sed

Sed decus hoc, Henrice, tuis virtutibus auge,
Dum tibi purpureo vere juventa nitet.
Perge sequi patriæ Iuvenis vestigia laudis,
Sic celebrem niveis gloria ducet equis.

Ad tumulum
INFANTIS Dn. IOHANNIS BERNDES. medici.

PII patris, piæq; matris filius,
Hoc est sepulchro conditus:
Qui mentis hausit cœlicæ lucem, suæ
Dùm matris alvo clauditur:
Vivens tamen non ortus in lucem fuit,
Orbis nefas ne cerneret:
Animam sed huic DEVS benignus abstulit,
Recepta quæ nunc æthere,
Videt ora Christi, cui parentum supplicum
Precibus piis commissus est.

In mortem Adolescentis.

HIC stemmatis sui perit flos ultimus,
A falce mortis horridæ:
Ut imbre sternitur, vel ungue carpitur
Hyacinthus horto nobilis.
Radice vulsâ; sed reliquit lachrymas,
Foliumq; flos hic marcidum:

At post gelu sævum, resurget pulchrior
Certans odore cum rosis
Quas veris excitabit æterni decus,
Cælestis aura Numinis.
O flos beate, vosq; busta, tot quibus
Florum jacent hic semina.

Ad tumulum
IACOBINI, INFANTIS
IOHANNIS BENTZII,
Medici.

Filioli dulcis cineres hac condidit urnâ,
Atq; piis lachrymis sparsit uterq; parens.
Pignus erat thalami primum, quò mœsta parentum
Pectora majori vulnere fixit amor.
At ne tàm pulchro vireat stirps Benzia ramo,
Mortis ab incurvâ falce resectus obit.
Sed simul insertus Christo ramusculus aliè,
Sanguinis & sparsus rore fluente viret.
Hac trahit æternæ succos ex arbore vitæ:
Aureus ut niteat ramulus ante DEVM.
Arbor enim vitæ est paradiso consita Christus,
Omnibus hinc ramis vita perennis erit.

AD
HERMANNUM PONTANUM.

Musa

MVsæ tenellæ & delicatulæ modos,
Quibus canis tori jugalis gaudia,
Optata lux mihi legendos attulit,
Pontane, duros inter orte Saxones,
Sed mollibus testudinis tuæ sonis
Mulcens simul trahens & ipsos Saxones.
Quà se videndam Musa dulcis intulit,
Vestis sinus implebat aura candidæ,
Comæq; odorato nitebant vertice:
Passu sed illa claudicabat impari,
Formæ sed hoc multum decoris addidit,
Hac mollius nihil, nihil venustius
Se fassus audivisse Phœbus ad vada
Permessidos ripæ, vel Hippocreniæ:
Namq; in tuis Pontane numeris, hìc suas
Horæ manus lavêre & almæ Gratiæ.

De
Muscâ sculptâ in aureâ phialâ
Dn. HENRICI RANTZOVII Producis cimbrici.

QVæ delicatas semper ambiit dapes,
Nec verita mensam adire musca Cæsaris:
Non alite ullâ læsa sum, nec arancâ,
Mortem sed ipsa mî voluptas attulit:

Fatoq; longè functa jucundiſſimo:
Sum merſa vino, ac condor auro mortua.

Idem aliter.

AVrato in cyatho dùm Corſica guſto, nequivi
Suavius extingui ſplendidiusq; tegi.

Aliter.

QVæ lautas ego muſca dapes libare ſolebam,
Nec ſemel in menſâ Cæſaris hoſpes eram:
Non roſtro me fixit avis: nec aranea telâ
Implicuit, nec me flabra dedêre neci:
Nobilior mihi mors, precioſior urna: Lyæo
Merſa cado, auratâ condor & in phialâ.

Aliter.

MVſca volans circum regalis fercula menſæ
Pocula nunc guſto, nunc ego guſto cibos.
Non me condit humus: nec avis, nec aranea læſit:
Aurea dant tumulum pocula: vina necem.

Aliter.

LAutitiis inhians, & dulci muſca Lyæo:
Mortem hauſi in vinis: aurum habui tumulum.

AD

AD THEODORVM SIMONEM ducturum uxorem.

TE modò quæsieram Lauri Theodore sub umbrâ,
Ipse sed absentem quæstus Apollo fuit.
Quo Venus audito subrisit: & ignea nati
Respectans tremulo lumine tela, refert:
O bone Phœbe, paras viridi quem stringere lauro,
Hic sua nunc Myrthi tempora fronde ligat.
Præq; novem, vel sint plures Helicone puellæ,
Venanti Idaliis saltibus una placet.
Dixit: & in risum cum matre Cupido solutus
Ante Deæ motas ventilat ora faces.

Ad tumulum LVCIÆ FILIOLÆ Dn. IOHANNIS ROLABII pastoris Ecclesiæ Buxtehudanæ.

LUcia sydereâ fruitur virguncula luce,
Quæ, dùm vixit, amor spesq; parentis erat.
Majori tamen hanc dilexit Christus amore,
Lucidior cujus Lucia luce nitet.

Amor

EX GRÆCO ANACREONTIS.

AD

Dn. EBERHARDUM TWESTRENGIUM I. V. Licent. & Reipub. Hambur. Consulem.

FOrtè rosam tenero decerpserat ungue Cupido,
Sub foliis cujus tecta sedebat apis.
Mox hæc in digitum carpenti exilia misit
Spicula, turbatos acriter ulta favos.
At puer exiliens, Cytheream quærit anhelus,
Et tales lachrymans rupit ab ore sonos:
Heu mater perii, perii dulcissima mater,
Eâ meo sensim corpore vita fugit.
Parvus erat serpens, tenues pellucidus alas,
Vulnus is inflixit; turba vocavit apim,
Cui DEA: sicnè manus dolet uno ex vulnere? quantùm
Vulneribus credis corda dolore tuis?

Idem aliter.

PArva rosâ latitabat apis, quam pollice carpens
Sensit in incautâ spicula Cupido manu:
At puer: ô genitrix perii, geminabat, acutâ,
Me fixit volucris cuspide: nomen apis.

Tùm

Tùm Venus ; hacnè peris tam parvâ cuſpide ? telis
Quot cenſes hominum corda perire tuis ?

Idem.

PArva roſam carpebat apis, quam parvus & ipſe
Carpebat temerè ſed tamèn ictus Amor.
Hinc fugit ; & perii, clamat miſer, aſpidis ictu
Pennigeræ, quam gens ruſtica dicit apim.
Tùm mater : tantosnè manu facit illa dolores ?
At quantos animis tu quoq; ſæpè facis ?

Idem.

FOrtè Cupido roſas carpens, apis exilit ictu ;
Clamat, & heu volucri cogor ab angue mori!
Cui genitrix : moreriſnè puer levis igne veneni ?
Quid ? quos tu proprio cogis ab igne mori ?

Idem.

NUMERIS ANACREONTICIS.

ROſas Amor legebat,
Apim ſub his ſedentem
Nec novit ; ictus ergò eſt,
Manuq; ſenſit aliè

Here-

Hærere ſpicla: plorans
Verò gemensq́, pulchram
Curſu petit Cytheren,
Perij, alma mater, inquit,
Perii, moriq́ cogor:
Me vulneravit anguis
Parvus ſtrepensq́ pennis,
Apem vocat colonus.
At hæc: apis puſillæ
Tantum doles ab ictu?
Quantum putas dolore,
Quos tu, Cupido, figis?

Idem aliter.

DVm tener incedit per amœna vireta Cupido
Purpuream legit ungue roſam, cui ſedula mellis
Inſidebat apis, quæ vim non paſſa legentis,
Spicula vibrabat tacitè, digitoq́ relinquens
Altius acta, levi volitans per inane ſuſurro.
At puer exclamans curſu fugiebat anhelo,
Et ſingultanti Cytheream voce requirit:
O perii genitrix, perii, jam jamq́ ſub umbras
Pallentes anima ægra fugit, nam letifer anguis
Parvus, & auratas quatiens in tergore pennas,
Hoc fecit mihi vulnus: apem dixêre coloni.
Cui Venus: ah mollis, refugis qui mite venenum
Nec parvæ fers vulnus apis, quid ferre putâris
Quos longâ tu tabe necas, tacitoq́ dolore?

IN

In tumulum
D. HERMANNI NIEBUR, canonici Hamb.

EReptus fato mediis Hermannus *in annis,*
Dùm currunt rosei tempora veris, obit:
Cui pater Hamburgæ Consul celeberrimus urbis,
Claraq; Neiburæ gloria stirpis erat.
At fuit hic sacræ celebratus honore cathedræ,
Quà canonum templo jura vetusta vigent.
Quàm citò ver florens abit, & rosa languet in horto,
Tàm citò vel firmo corpore vita fugit.
Hoc positum in terris naturæ lege perenni est,
Vt maneat fixum quod dedit illa nihil.
Cognatâ jam corpus humo est: sed corpore migrat
Cognatum repetens, mens simul alma polum:
Solius hæc meritis Christi confisa petivit
Æthera, quo vitæ gaudia vera capit.
Spargite sed tumulo flores, sub vere recenti,
Qui mox æterno vere resurget humo.

In tumulum
D. IOHANNIS ECCLEVII, Canonici Hamburg.

Fridsla-

FRridslariæ raptus mediis Eclevus in Heßis:
Hoc posui gelido membra sepulta solo.
Verda mihi patria est: dedit urbs Hamburga penates,
Vxorem & sobolem: Cimbria donat opes.
Vivens in terris fueram tantùm hospes: at hæres
Nunc cœlo; Christus vita, salusq; mea est.

In ingratos.

QVi confert benefacta malis aut præstat honorem,
Ignotis canibus porrigit ille cibum.
In benè promeritos sic hi convicia spargunt,
Ignotus dantem ceu petit ore canis.

In obitum

Cl. V.

D. ALBERTI TWESTRENGII, Hamburg. Philosophiæ & medicæ artis Doctoris.

VEr breve, flos brevior, sed vita brevissima nostra est,
Virtus, ingenium, gloria, fama, manent.
Et Sophiam, & medicas coluit Twvestrengius artes,
Mors mortis, vitæ vitaq; Christus erat.

Effi-

Effigies resurrectionis CHRISTI *sculptæ, quæ conspicitur in templo* D. Nicolai *sumptibus.*

Dn. EBERHARDI TWESTRENGII, I. U. Licent. & Reipub. Hamburg. Cos.

CLara resurgentis sunt hæc insignia Christi:
En vexilla ferens corpore Christus adest.
Oscula sancta senex iterat Twvestrengius, *almæ*
Vnanimes nati dona salutis habent.
Mors Erebusq; cadunt, adstat victoria cœlo:
Sola resurgenti gloria, vita, salus.

AD

M. HENRICUM COPIUM, Pastorem ad D. Mariam Magdalenam Hamburg.

NUPTIÆ.

HIc placet, in terris lecti qui servat honorem:
Hic placet in dulci cui stat amore fides:

Hic

Hic placet, est hilaris gravitas cui cognita vitæ:
Hic placet, hìc cui dat pignora cara torus:
Hic placet, est niveus simplex cui pectore candor:
Hic placet, officii quem datus ornat honor:
At placuit magis in cœlo Charis alma: sequuntur,
Lectus, amor, gravitas, pignora, candor, honor.

De conjugio.

EST schola conjugium vitæ, quâ regnat honestas,
Cujus & ipse Logos fœderis autor erat.
Illa DEO grata est, sobolisq; propagine felix:
Hæc simul unitos una palæstra decet.



HENNINGI CUNRADINI Poëtæ Laureati *Phalæciorum Sylvula.*

AD

Magnificum & clariss. virum,

Dn. IOACHIMUM WILLERUM Hamburg. Iurisconsult. & Cameræ Imperialis Assessorem.

HAnc cui visere sylvulam libebit
Florido mihi consitam sub ævo?
Hanc vises, nisi seria hoc vetabunt,
Tu prudens Ioachime, qui solebas
Meos esse aliquid putare lusus,
Cùm nos Leucoris alma, teq; meq;,
Foveret vitreas ad Albis undas;
Qui Musas colis atq; amas Poëtas:
Qui clarum ingenio decus parasti,
Cultor Iusticiæ & patrone Iuris,
Quem Cæsar sibi, quem ducesq; poscunt,
Æquitate bonum, fideq; sanctum,
Cui foro imperii locus tributus

Adscito procerum in chorum sacratum.
Quarè si juvat, & tibi dicatam
Novam lumine sylvulam benigno
Collustraveris, illa vincet annis
Annosam folio virente quercum.

Ad turturem suum.

TUrtur deliciæ meæ, tugelle,
Qui mî sæpiùs excutis molestas
Tristi è pectore cogitationes:
Qui cum ludere, cuiq; ferre grana,
Et lectum soleo parare arenâ:
Qui mensæ atq; humero involas vocanti,
Psittaco magè care turtur Indo:
Qui spectacula comicosq; ludos
Dulcis conjugii atq; casti amoris,
In magno velut exhibes theatro,
Sub parvo lare quà colo Camœnas,
Dulci cum pare colloquens amanter
Grato murmure blandulisq; ocellis:
Amplexum referunt subindè & alæ,
Iunctis oscula personantq; rostris;
Qui monstras quid amantium sit ardor,
Quid fides in amore conjugali,
Nunquàm solus edens, bibensvè solus,
Qui vel cum pare granulum minutum
Partiris, simul avolas aquatum.

O in-

O insignis amator & fidelis:
Tu vitâ alliceres tuâ ad jugalis
Vitæ gaudia bellicam Camillam,
Vel durum Hippolytum feras sequentem.

De eodem mortuo.

LUgete ô volucres, piiq; Amores,
Turtur mortuus est mihi tenellus,
Quem plus ipse oculis meis amabam:
Hunc nudum reperi sub arbore altâ,
Quem diu propriâ manu cibavi
Et guttas vitrei dedi liquoris:
Qui me tàm benè noverat, sub altis
Quàm nosset benè frondibus parentem,
Si derso in nemore educatus esset.
Qui si tristis eram, simul gemebat,
Sin lætus, simul ipse lusitabat:
Qui circum volitans & hùc & illùc,
Nec, sub sole patentibus fenestris,
Furtivos meditatus est volatus.
Nunc Orcus niger arcet, heu, misellum,
Qui bella omnia devorat barathro,
Et bellum mihi turturem voravit:
Quem tantùm haud doleo, simul sed ipsam
Consortem viduam gemo relictam.
Quæ nec frondibus insidere sparsis,

Nec jam granula jacta curat ulla,
Nec sitim positâ levare lymphâ,
Luctu & tabe peresa tota amoris.
Sic ambo duplicant meum dolorem,
Ille, quem scio jàm perîsse dudum,
Hæc, quam nunc video perire totam.

Vnde translata sit hæc Sylvula.

CVm sub vere puer virentis ævi
Parnassum peterem nemusq; Lauri,
Adspexi citharâ Deas canentes,
Et colludere Gratiis per herbas.
Hìc donum pueriliter petenti,
Permotus prece virginum suarum
Donavit mihi surculos Apollo
Radicesq; solo suo revulsas,
Quas mecùm vitreum referrem ad Albim;
Vt me candida Leucoris doceret
Vim terræ vè, modum vel inserendi,
Et fructus simul inditasq; vires.
Ità hæc sylvula frigido sub axe
Est prognata solo parùm feraci,
Quà durus secat arva hiulca Saxo.

De

De eâdem 2.

TErrâ sæpius arbor è recenti
Surgit luxuriantibus racemis,
Et totum foliis obumbrat agrum:
Sed flatu locus hic caret salubri
Quo sævit Boreas, & udus Auster:
Nec pingues mihi contigére campi,
Quos fontes vitreis rigent scatebris:
Albis sed tumet hic ferus, suasq;
Intermiscet amara Theïs undas.
Ergò nata solo fuêre nostro
Arbusta, & frutices, leves myricæ,
Lentiscus, coryli, arbutus, geniste:
His est mixta, sed illa rara, myrtus,
Virentesq; ederæ, virensq; buxus,
Nec non vos maris & toris relucens
Teda olim, & Cypariſſus apta tumbis.
Quòd si mitior aura mî favebit,
Tunc & terra subactior frequenti
Cultu reddita, proferet comantes
Lauros, & platani patentis umbram:
Tùnc è palmiferâ novas Idume
Stirpes, & Libani jugis relatas,
Celsas ordine collocabo cedros.
Nodosas jubeo procul sed ornos,

Et vepres procul hinc abesse acutos,
Et tristi gravidas odore taxos.

Ad clariss. virum
MATTHÆUM DELIUM,
Rectorem Scholæ Hamb.

FElix qui sibi vivit, ac honestam
Curis pertulit improbis quietem:
Deli noster amor ducisq; Phœbi
Felix tu quoq; in hoc furore secli,
Qui vivis tibi, commoransq; tutæ
Intra limina sortis, haud inani
Commissam studio regis juventam,
Quà salsum properans in æquor Albis,
Hamburgam fugit & redit per urbem.
Namq; è gymnasio tuo profectos,
Trojani velut ex equi latebris,
Ingens adspicere est tibi voluptas,
Florentes juvenes & arte & ævo,
Qui nunc Teutonicas regunt per oras,
Scholas, templaq;, curias, & aulas,
Hæc mulcet tibi corda nunc voluptas,
Hoc solamen habes tuæ senectæ,
Hæc nunc præmia sunt tibi laborum,
Cùm jam non alia afferat laborum
Ingrati levitas inepta secli.

Qui

Qui tantas ſtudio & fide paraſti,
Quantas Cecropiis ſenex Athenis
Eſt laudes Epicharmus aſſecutus:
Quantis Quintilianus & Guarinus
Iàm nunc Auſoniis vigent in oris.
Quantis & Trocedorſius ſuperſtes,
Iàm nunc Elyſias nitet per urbes.
O ſeræ requies amœna vitæ!

AD M. HERMANNVM PONTANVM.

POntane, Aonidum decus, recensq;
Phœbi fama, comesq; Gratiarum,
Quid tu nunc patriis agas in oris,
Tàm me ſcire libenter ipſe vellem,
Quàm te ſcire libenter ipſe velles,
Ad flavum quid agam reverſus Albim.
Hìc pars Leucorei moror Lycæi,
Et vocem ſenis audio Philippi,
Cygnæâ mihi voce dulciorem:
Iucundoq; trahens labore tempus,
Sector Pierides q;, Gratias q;,
Caſtum virginis ambiens amorem,
Quæ de Caſtalidum mihi perenni
Purum flumine porrigat liquorem,

Et nectat capiti meo coronam,
Daphnæis foliis diu virentem,
Verùm illic alio, attamen pudico,
Te, Pontane, ferunt amore captum:
Pulchræ lumine scilicet puellæ,
Quæ nunc gratior omnibus puellis,
Vel una è Latiis sit hæc puellis,
Quòd solam hanc pereas, canas voces q;
Dulci nomine (dulcior quòd ipsa
Hyblæo tibi melle sit) Melissam.
Et, fallor nisi, jam petis frequenter
Carum limen, & assides amatæ,
Et noctes lepidâ trahis querelâ,
Nomen ad citharam canens Melissæ,
Cùm blandè rapis osculum, simulq;
Hæret cara tuo Melissa collo.
Sic dies tibi nunc fluunt beati,
Nec sunt sic tamen ii satis beati,
Nàm dùm lux veniat tori jugalis,
Vertentem una dies tibi æquat annum.

De eodem eleganti Poëtâ.

CUm dulces numeros novumq; carmen
Pontani citharâ canentis Albis
Audisset medio pater sub amni:
Eduxit caput ex arundinetis,

Glau-

Glaucos hùc oculos movens & illùc,
Et muſco implicitus leviq; cannâ,
Barbamq; & gravidos fluens capillos,
Innixusq; cavæ profatur urnæ.
Non jàm Tybri ſenex tuos ad amnes
Tantùm dulciſoni canunt olores,
Quâ tu laude ſuperbus aſtra adibas.
Nunc æquè nivei, canori & æquè,
Ripis & geniti meis, & alti
Hæc jàm noſtra colunt fluenta cygni.
At cœptum juvenis teneto curſum,
Muſis creſce tuis, tuis & annis.
His dictis rediens ſuum ſub antrum,
Verſâ largus aquas refudit urnâ.

De Fundo ſuo.

NOn ſylvæ mihi ſunt comis opacæ
Luſtriſq; horridulæ, quibus vel apros
Hirſutos agitem, leveſq; poſſim
Altis cornibus excitare cervos:
Non alo accipitres, canesq; odoros,
Ut vener leporem patente campo:
Nec fremunt ſtabulis equi ſub altis:
Nec ſunt prædia, vineæq; lætæ,
Piſcoſivè lacus, nec horti amæni,

Nec pratum, nec ager ferens aristas:
Nec mulcet mihi corda suavis uxor:
Vel quicquid sibi postulat voluptas.
At mi parvus erat benignioris
Census ingenii, huic laboris addens
Iusti pondus, ad abditos Dearum
Recessus aditum mihi paravi.
Hæ tùm pollicitæ suos amores,
Concedunt cupido fores apertas,
Secretisq; adytis opes recludunt,
Thesaurosq; vetustioris ævi.
Lustravi simul hîc amœna tempe,
Prata roscida, limpidosq; rivos,
Et canis habitata stagna cygnis:
Ac hortos Sophiæ petivi amœnos.
Tùnc mihi proprium dedêre Musæ,
Quem fidò colerem labore fundum,
Hunc partìm in Sophiæ situm recessu,
Partìm ad fontis aquas situm Dearum
Et Phœbi nemus: ergò fundus ille, est
Jam fundus mihi, prædium est, & horti,
Piscinæ, viridaria, atq; sylvæ,
Cervi, apri, lepores, equi, canesq;,
Agri, pascua, rus, opes, voluptas:
At pro conjuge sunt piæ Camœnæ,
Quæ talem mihi tradidêre fundum,
Parte cujus amœniore primis
Hæc mî sylvula pullulavit annis.

IN

In obitum

PHILIPPI MELANTHONIS, Viteberg. An. 1560.

LVgete ô Charites piæq; Musæ,
Et quantum est hominum eruditiorum!
Luge Ecclesia mœsta, funde fletus!
Orbis mortuus est decus Melanthon
Divis proximus ætheris Melanthon,
Musarum columen, paterq; vatum,
Et docti unica cura amorq; cœtus,
Quem plus illi oculis suis amabant:
Qui princeps fuit eruditionis,
Instaurator & artium bonarum,
Nec cui laudibus ingeni secundus,
Nec virtutibus artibusq; honestis.
Quicquid gratia cœlitus favente
Vnquàm Numine contulit creato
Mortali, hic habuit tulitq; felix
Magno munere, cælico favore,
Vt mentem ætherei Patris doceret,
Monstraretq; viam salutis almæ:
Et splendor Sophiæ vetus rediret.
Secli maxima gloria, & virorum
Non horum modò, sed quot aut fuerunt,

Aut

Aut sunt aut aliis erunt in annis.
Ah, sed nunc jacet ille, quem colebant
Docti omnes pariter suum magistrum,
Boni omnes pariter suum parentem,
Musæ omnes pariter suum patronum:
Quo vivo pia templa, quo Lycæa;
Florebant simul, & simul nitebant
Cultu Palladio, piâ quiete:
Quem vivum quoq; dissitis colebat
Europe simul universa regnis,
Insignem ter & amplius beatum
Magno munere, cœlico favore,
Nunc omnes pariter gemunt, reposcunt
Urbes, templa, Lycæa, Apollo, Musæ,
Europe simul universa regnis.
Luge Ecclesia mœsta, funde fletus,
Et quantum est hominum eruditiorum,
Lugete ô Charites piæq; Musæ.

De eodem in funeris deductione.

QValis cùm freta per tumultuosa,
Argo navigat; inter & procellas
Et fluctus rapidos, egena rerum,
Amissum repetit dolens magistrum
Tiphyn, & decorat piis querelis:

Aut

Aut nati veluti ſuum parentem
Affuſi ad tumulum dolent ademptum:
Sic nos ad tumulum tuum, Philippe,
Aſtamus, graviter ſimul dolentes
Pullati, lachrymisq; diffluentes,
Amiſſum gemimus ducem magiſtrum,
Orbati & miſeri pium parentem.
Salve dux ſimul & magiſter Argus,
Salve perpetuum pater Melanthon.
At tu ſydereâ potitus arce,
Nunc D E I *ora tueris, & beatus*
Optatâ frueris quiete cœli.
Nos hìc intereà relicta turba,
Te jàm dive repoſcimus Melanthon
Singultu & lachrymis, piosq; queſtus
(Mœſta, heu, munera flebilesq; honores)
Sacramus cineri ſepulto & umbris.
Te quanquàm mala lingua, dum manebat
Mortalis tua ſors, petebat atrox
Diris morſibus; haud tamen malorum
Obliquæ poterant nocere nugæ
Magno pectore cuncta perferenti,
Nunc vanos dolet eſſe livor ictus,
Mollem poſt obitum & quieta fata,
Partamq; improbus invidet quietem.
Æternùm fruere hâc beatus, inter
Illuſtres animas piosq; manes,
Quam vitæ benè poſt peracta luſtra,

Con-

Conceßit tibi jàm DEVS quietem.
Nos vetat pietas tenere fletus,
Et non funera proſequi parentis,
Lachrymis, gemitu, & piis querelis.
Ergò perpetuum vale Melanthon,
Salve perpetuum, pater, valeq;.

De eodem.

VIs verbo? Sophiam, atq; veri amorem,
Artes Palladias, utrasq; Muſas,
Tres linguas, Charites, patremq; vatum,
Exemplum pietatis atq; honeſti,
Candorem quoq; ſeculi? Melanthon.

AD
IOHANNEM MAIOREM, S. Theol. D. & P. L.

MAjor, *delicia novem ſororum,*
Cui grandes tribuit ſonos Apollo
Auratæ citharæ, & ſuas medullas
Suada, contulit & favum Melanthi:
Structæ fercula ſi trecenta cœnæ
Spernis, atq; epulas Apitianas,
Et ſi non grave, ſis vocatus hoſpes,
Cùm tincturus aquis equos anhelos

Titan

Titan Hesperium subibit æquor.
Quin te Sturio doctus & facetus,
Candore & magè candidus requirit,
Et Caselius eruditus, omnes
Cui præstò Charites bonæq; Musæ.
His tantum obsequii nefas negare est.
Dulcis, aureus hic adest Lyæus,
Missus Gambriviâq; ab urbe Zythus.
Pauca fercula condient lepores,
Et sales niveos faceriasq;
Quas nudæ tibi Gratiæ ministrant,
Hyblæ flore favisq; dulciores:
Cedat Ambrosia his potensq; Nectar,
Quod flavo puer emitens capillo,
Auratâ in phialâ Iovi propinat,
Fortè quem patriâ sequentem in Idâ
Auritos lepores, vagosq; cervos,
Abreptum Iovis ad dapes opimas
Vncis armiger unguibus locavit.

Ocelli
HIPPOLYTÆ sivè lusus.

QVæ fax ô violenta? quæ coruscas
Irrupêre ibi flammulæ per auras?
An sic Hippolytæ micant ocelli?
An sic flamma relucet, haud ocelli?
An nequam Veneris puellus ille

Insistit

Insistit mediis puellæ ocellis
Missisq; aureolis manu sagittis,
Imum cor mihi vulnerat sagittis
Ille, ille haud dubiè, protervus ille
Formosæ puer insidens Lacænæ
Misit spicula cæsiis ocellis.
At parce Hippolyte meis ocellis:
Cùm flamma exilit è tuis ocellis,
Tùm mî cor simul intimum perurens
Molles lambit in ossibus medullas:
Cùm sint aridulæ magis medullæ,
Quàm sunt torridulæ per arva aristæ,
Cùm furit Canis æstuosus æstu.
O claude Hippolyte tuos ocellos,
Qui flammis hebetant meos ocellos,
Imò urunt penitus meos ocellos,
Qui lucent velut alma manè Cypris,
Sed urunt velut ipse Phœbus urit,
Hoc cor, hos oculos, & has medullas.
Sed tandèm benè habet, puella, parcis,
Flagrantesq; sinu recondis ignes.
At, quæ nunc mihi nox repens oborta est?
Quæ circum horridulæ volant tenebræ
Vmbrâ præpete fusculisq; pennis?
Quin, ô quin retege, ô puella, vultum,
Lucentes retege ô puella ocellos:
Mox umbræ fugient tenebricosæ,
Et mî fax referet coruscа lucem.

Malo

Malo scilicet, ô puella, malo
Isto lumine centies perire,
Istis quàm semel obrui tenebris.
O nunquàm benè sana mens amantûm!

AD
ADOLPHVM DE VOLMA
Secretarium Stadensem.

EST quod grater, Adolphe, quod pudicæ
Grater Margaridi, tuæ maritæ,
Inter qui fremitus sonantis auræ,
Inter qui sonitus frementis undæ,
Inter qui gemitus tuæ maritæ,
Horrendas per aquas minasq; cœli,
Vecti per vada vorticosa lembo
Divinâ incolumes benignitate
Portum Gambriviæ appulistis urbis.
Quid? cùm personuit gravi susurro
Ventus: cùmq; tumultuosus Albis
E fundo bibulas ciens arenas
Effudit cumulos per ora aquarum?
Nùm fluctu attonita, & furente vento
Signum Margaris edidit paventis
Timens haud sibi, sed suo marito?
Imbre vel madidum caput reclinans
In chari gremium abdidit mariti?

Numquid tu quoq; Adolphe, palluisti?
Cùm malum tremuit, ratisq; pulsa,
Timens haud tibi, sed tuæ maritæ?
At nunc sub lare commodo recepti
Trajectinus adest ubi benignus,
Tuq; & Margaris ad focum explicatis
Vestem, & pallia, nauseam fugantes
Depromtis epulis meroq; dulci,
Dulci & colloquio resarcientes
Duræ tædia navigationis.
Mox gratæ cupidi quietis ambo,
Nocturnam pluviam, & remugientes
Securi thalamo audietis Austros.

De GUERNERO ROLEVINCIO cive Hamburg.

VIxit dùm licuit, licet nec ultra
Fixum vivere terminum creato.
Mundi vixit at inter has procellas,
Lites inter & improbos furores;
Sìc vixit tamen interìm beatè
Christi & Pieridum benignus hospes,
Exemplum Rolevincius *bonorum,*
Nunc sanctum caput hospitalitatis
Iucundæ, precium ferens utrinq;

Immor-

Immortale remunerationis.
Christus dat meritum necis redemptor,
Alti tectaq; possidere cœli:
Musæ, carmina, pervolansq; fama
Servant nomina prorogantq; terris.
Mundi vixerit inter has procellas,
Lites inter & improbos furores,
Sic vixit tamen interim beatè.

De MAGALOSA NAVE SVEcia Anno 1565.

POrtentum Magalosa vasta Ponti,
Quæ vicit Magalosa nuper arces,
Armis, milite, ligneisq; muris,
Mole, fulminibusq; machinarum,
Altæ cui freta perstetêre fossæ:
Bellantis Magalosa spes Erici,
Surgens veliferis ad astra pinnis:
Quæ duxit Magalosa Marte nomen,
Par vel nulla fuit quod huic carina:
Postquàm Palladis arte structa divæ est,
Dii maris stupuêre, maximamq;
Miracli freta sustinere molem,
Fatum navis ut ederet rogârunt
Neptunum: maris hæc peribit undis,
Dixit. quod simul audiisset ater

Vulcanus, tumido profatur ore:
In navi meus hâc labor, meiq;
Sudores fuerunt, in igne coctas
Tot cannas ego tot pilasq; fudi,
Et ni fallor, ait, peribit igni:
Atq; hunc Mercurius modum probavit.
Eventus sed utrunq; comprobavit,
Dictum Mulciberis, DEI & marini,
Nàm fatum pariter duplex subivit,
Hausta est prora vadis, at igne puppis.
Sic flammis Magalosa victa & undis,
Portentum Magalosa vasta ponti.

De
Pugnâ navali, in quâ à classe SERENISSIMI REGIS DANIÆ FRIDERICI II. superata est Magalosa & reliquæ naves.

CVM bellis Aquilo fragosus arsit,
Pugnatum est pelago; ruunt utrinq;
Suecorobora Danicæq; classis.
Fàmq; ignes micuêre, complet auras
Horrendus fragor, indè dissipantur
Puppes turbine ferreo globorum.

Et latè inficitur cruore pontus,
Et nymphæ sub aquis stupent marinæ,
Fumus cunctaq; miscet atq; flamma.
At victoria Danicas volabat
Super læta rates: rates minores
Dissectæ fugiunt: at obsidetur
Urbs velut Magalosa parte ab omni.
Uncis tracta simulq; fracta bombis,
Unà hostem capit, atq; aquas marinas,
En verò vaga pulverem repostum
Tangit flamma, repentè fulsit æquor
Visum ardere, rapitq; disjcitq;
Ignis fulmineo fragore puppim,
Ad cœlum volitans, manetq; tantùm
Nubes fumida, sulphurisq; nidor.
At convulsa pilis, aperta rimis,
Hausit prora fretum, subitq; fundum,
Et flammæ fuit æqua vis & undæ.

Ejusdem Metamorphosis.

ÆNeæ, perhibent, fuisse puppes
Conversas pelago in Deas marinas,
Et nymphas vitreo natasse ponto.
At quam te Magalosa vasta dicam,
Quam salsis faciem induisse in undis?
Cùm rex te Fridericus ense victor
Undas ire sub æquoris coëgit?

An saxum latitans tumultuoso
Dorsum immane mari? vel aspra stabis
Cautes, fluctibus altior refractis?
Quà Phocæ recubent, soneteq; conchâ
Triton per vada Balthici profundi:
Quà Proteus speculâ sedens acutâ
Pecus turpe recenseat per arva.
An ponto nova Scylla tu latenti
Sorbens gutture concoques carinas?
At tu nec scopulus, latensvè saxum,
Nec puppes nova Scylla tu vorabis,
Sed tu maxima Balthicum per æquor,
Sub cæco Magalosa mersa fluctu,
Celso conspiciêre Nympha vultu,
Quâ non grandior omnibus sub undis,
Cum nymphis placido freto natabis.
Neptunus tibi dat novam figuram.
In crines abiêre mox rudentes,
In longos simul hinc & hinc lacertos
Antennæ, simul inq; colla mali:
At rostra in faciem, inq; pectus amplum
Moles ardua vertitur carinæ:
In plantas pedis ipse clavus exit.
Hanc ponti DEUS, accolæ vetusto,
Amplexu Galatea quem repellit,
Iungit connubio suo Cyclopi,
Ut simul Magalosa vasta lectum
Scandat & Polyphemus altus unum.

AD

AD
BRUNONEM, FILIOLUM
clariſs. viri M. IOACHIMI
TEGENERI.

BRuno deliciæ tui parentis,
Matris dulcis amor, decusq; fratrum,
Cui Pitho roſeis ſedens labellis,
Dulcem blandula ſuggerit loquelam,
An tu nunc ſolitos jocos parentis
Argutosq; ſales refers ad aures,
Dictisq; exhilarans, levansq; curas?
Ultra annos puer ô diſerte Bruno,
Quin & ſæpè meo ſinu recumbens,
Aſſuéras facili rotunduloq;
Argutarier ore, cum benignè
Nuper me pater hoſpitem foveret,
A te nunc puer ô procul remotus
Intonſis ago montibus, tuoq;
Hic commerciolo carere cogor:
Nec coràm audio ſuaviter loquentem,
Nec tecum virides eo per herbas,
Nec ſub pomiferis quieſco ramis:
Sed formoſe puer, puer tenelle,
Carum diſce imitarier parentem
Linguâ, moribus, eruditione;
Dum primi favet illa veris ætas,
Et ſe floſculus incipit ſub auras

Puri ad lumina solis explicare.
Nàm fert lampada prævius nitentem
Insignis pater: hunc sequeris ergò,
Nec quisquam melius tibi præibit
Linguâ, moribus, eruditione.

In obitum Annæ sororis.

QUàm dulcem moriens soror quietem
Sensisti, & placidam per ossa pacem!
Cùm vivo recreata corda verbo,
Non diræ timuêre spicula mortis,
Non legem, neq; triste virus Orci.
Vera hæc lætitia inchoata terris,
At nunc percipienda tota cœlo.
Sic soli tua dedicata Christo
Sanctus pectora spiritus rigavit.
Nati sanguine dum redempta summi es
Patris reddita pristino favori.
Spes ô maxima, posthæc funus atrum
Dulcis vita magis fugace vitâ
Quæ nunc vivitur ante funus atrum.
Nunc gaudes igitur; novoq; sponso,
Qui te luce novâ novoq; amictu
Ornatam decorat, tuamq; dulci
Præsens exacuens amore mentem,
Vultu pascit amabili, beata
Inter agmina virginumq; cœtus:

Quò

Quà cùm Patre ſororculaq; carâ,
Et cum fratre pios novas amores.
Ergò dulcis ave ſoror, valeq;,
Cæleſtiq; tuos in arce fratres
Expecta, nec enim ſequi timemus.

In obitum
ANNÆ CUNRADINÆ,
matris ſuæ.

SI jàm non cineri tuo vel abſens,
Heu mater lachrymis meis parentem,
Sim vel tigride ſævior vel urſis,
Quæ tot tædia menſium ferebas,
Vivas ederer antequàm ſub auras;
Cui cordi pietasq; caſtitasq;:
Autor quæ fueras meo parenti
Ille ut me ſtudiis ſacraret almis.
Tu veræ pietatis imbecillæ
Menti ſemina prima præbuiſti
Cum ſucco nivei imbibenda lactis.
Tu verò ſtudia optimo pioq;
Commendas mea Delio ſeverè,
Qui formare probè ſimul juventam,
Et ſimul pueros piè ſolebat.
Artes fecit hic imbibiſſe primas,

Prima cùm pueri sinebat ætas.
Notum fecit & esse me Philippo,
Divo nempè Melanthoni Philippo,
Tùnc fontes Sophiæ sacramq; legem
Et summam pietatis explicanti:
Pro quo nunc ago gratias Philippo.
At mater, mea chara mater, audi,
Nam sensus tibi restat audiendi,
Vt pro munere maximisq; donis
(Fecerunt tua munera atq; dona)
Grates ac habeam ac agam perennes.
Tu nunc æthere conspicis beato
Sanctâ in luce DEVM, DEIq; *Natum,*
Consortisq; utriusq; dona flatus:
Æternâq; fruens quiete degis,
Optas vivere & in quiete natos,
Et complexa tuum foves maritum.
Felix Anna *parens parentis* Annæ;
At Annæ tamen haud comes perennis
Quæ suæ soror est comesq; Elisæ:
Samsonis comes at parentis Annæ
Ibis suaviter ad locos perennes,
Et senex comes est Elisa *mater,*
Quæ cum Zachariâ viget marito,

Ad seipsum.

HEi vanas, age, cogitationes
Mens tandem abjice, futilesq; curas:
Quæ tùm visa tibi beata bellè es
Cùm spes facta benignioris auræ,
Quæ mox proveheret meam carinam,
Vel Gallos, vel ad Italûm recessus,
Quibus clara viris Lycæa florent,
Vbi percupido mihi liceret
Doctos suspicere & videre cœtus,
Ac insigne decus referre honoris
Et messem metere optimam ac opimam.
Æstimata nimis sed hæc agebas
Mens ô credula, nec memor fuisti,
Spes vanas hominum, leves, inanes,
Fallacemq; fidem, vagasq; mentes,
Et tantum variabiles in horas:
Autumnalis ut aura per caducas
Discurrit temerè vagata frondes.
Ergò nùnc age mens quiesce tandèm,
Donec prospera flabit aura, quæ me
In portum vehat hinc salubriorem.
Mens sic ægra quiesce, delitesce,
Secretos nemorum colens recessus,
Vbi cornua ponit alta cervus.

De

De seipso.

UT mœrens avis & vaga & tenella,
Cum squalent nive rura candicanti,
Stat nudis spoliata sylva ramis,
Canas pro foliis ferens pruinas:
Vt mœrens avis & vaga & tenella,
Seu cassita in agro, rubisvè achantis,
Seu luco philomela delitescens,
Mutæ omnes hyemis gravi rigore,
Solæ omnes residunt, habentq; rostrum
Defixum horridulis suis sub alis:
Sic mœrent quoq; frigidæ latentq;,
Et silent steriles meæ Camœnæ:
Dùm me Parrhasio sub axe, duræ
Exercent hyemes, mororq; lentus
Quà terrâ breviore separantur
Fluctus occiduiq; Balthiciq;
Nec cœlo neq; gente prorsus æquâ.
Non hîc sponte moror, licèt retardent
Spes promissaq;: sed semel libebit
Sub tardo effugere hinc mihi Boote.
Tùnc vernas imitans sono volucres,
Mites liberiùs canam per auras.

AD

AD
Dn. IOHANNEM BENZIUM artis medicæ Doctorem.

QVæ sit Musica, qui joci, requiris,
Et qui sint lepidi mei sodales,
Dùm vivo strepera inquietus aulâ,
Dumq; absunt domini bonique amici.
Matutina meas veni sub aures
Vox diversa canum sonans per aulam:
Quales per medium lupi Decembrem,
Quorum vix saturat subindè inanem
Implens Ingluvies & ipsa ventrem,
Hæc est Musica: per diem audiuntur
Et diræ impiæ & execrationes,
Quas cœlum erubeat, malæ & tremendæ,
Sparguntur q; leves velut cachinni:
Sic bello joca, bella mixta cantu.
At consortia vesperi, feroces
In cœnâ socii frequenter adsunt:
Nec rixæ insolitæ, & feri tumultus,
Quales scilicet excitasse fama est
Centauros, Lapithas, feros Cyclopas.
Sed poclum vacuabit haud supremum,

Qui

Qui curat placidè quiéſſe noctem:
Nec qui manè ſalutat ore blando,
Idem eſt ad poſitam tibi lucernam:
Crebra eſt dextera, corda rara ſentis.
Sic mi tertia bruma jàm recurrit,
O brumam hanc melior ſerenet æſtas!

De GEORGIO BUCHANANO Scoto.

TAntum Scotia protûlit poëtam,
Quamvis ſit ſub iniquiore cœlo,
Quantum non capit ipſa tota regno.
Vix Graji & Latij tulére tantum,
Quamvis ſint ſub amœniore cœlo,
Quantum Scotia protulit poëtam.

Ad Cl. V. Dn. HENRICUM MOLLERUM S. Theolog. Doctorem.

EN grandes Sophoclis tibi cothurnos,
Quos Aldus nitidos & elegantes
Bis ſex protulit ante luſtra & annos
Septem, nec tineis tamen peroſos

Squa-

Squalenteſvè ſitu: at velut recentes
Heſterno dedit officina prælo.
His non aptior alter eſt cothurnis,
His non dignior alter: ergò amoris
Henrice, *hoc monumentum habeto noſtri,*
Qui ternæ decus arbiterq; Muſæ,
Hebrææ, Latiæ, & ſimul Pelasgæ:
Fundisq; Argolicas locutiones
Succo Nectareo ſua viores.
Nam tibi ingenium eſt & acre & amplum,
Quo tanti ſapientiam Poëtæ
Et mentem aſſequeris, ſimul vetuſti,
Secli ſimplicitatem; & omne acumen
Adjunctum capis, atq; prendis acrem
Alto in pectore vimq; ſpiritumq;,
Heroosq; animos, gravesq; motus
Agnoſcis penitùs: nec alter ergò his
Aptior neq; dignior cothurnis.

Amor ANACREONTIS.

PArvus cùm legeret roſam Cupido,
Nec ſub purpureis apem ſedentem
Videret foliis, apem furentem
Telo ſenſerat in manum peracri.
Tùm ſimul fugiens ſimulq; plorans,
Formoſam petit ilicò Cytheren,
Et clamore aperit ſuos dolores.

Occi-

Occidi miser occidi, statimq;
Heu dulcem, ô genitrix, relinquo lucem!
Hos anguis peperit mihi dolores,
Anguis parvulus avolans per auras
Alis lucidulis; colonus illum
Appellabat apem puer petenti.
Cui ridens genitrix: tibinè telo
Tàm parvo facit hos apis dolores?
At quantùm cruciare corda censes
Quos tot tu jaculis facis dolores?

AD
Dn. IOHANNEM TRAIECTINUM Ecclesiæ DEI ministrum Hamburg.

HOC mentis tibi candidæ ac amicæ,
Trajectine feras amice pignus:
Casti fons DEUS est amoris, atq;
Casti pectoris ipse nutrit ignes,
Casti conjugis ipse vota poscit,
Quæ juncti in socio toro feretis,
Tuq;, & quæ tibi copulata sponsa est
Nexu, quod tibi gratulor, jugali
Iudith virgo, futura mox sed uxor.
At vestris precibus piisq; votis,
Nunc conjungo meas meumq; votum,
Et DEI tibi Natus adsit oro,

Autor

Autor conjugii piiq; amoris,
Huic clemens favet, hunc fovet benignus.

De pugnâ Venetorum ad Naupactum. ad Dn. EBERHARDUM TWESTRENGIUM. I. V. L. cos. Hamburg.

O Factum benè, nuncius per oras
Volat Teutoniæ, per alta victam
Turcarum maria interisse classem
Quà Nereus obit, & sinu reducto
Sparsas tollit Echinadas per æquor.
Tot grates tibi nunc agamus omnes,
Qui Christum colimus, DEUS frementûm
Undarum arbiter ætheriúq; rector,
Vinclorum & scelerum hostiumq; vindex;
Quot freto Hadria sævus impotenti
Attollit Boreâ furente fluctus.
O flos Austriacæ decore stirpis
Iane dux, Caroliq; vera proles:
Et vos ô Veneti boni & peracres
Salvete, inclytus hic triumphus armis
Vestris defuit, ut favens utrasq;
His Victoria texuit coronas,
E Lauro & folio virente palmæ,

Et foro nova roſtra texit alto.
Sic ſæpè hæc redeat, feroxq; Turca
Quo Chriſto maledicit impudicus
Sic ſæpè ore ſalum bibat profundum,
Ore mordeat aut ſolum cruentum.

De malâ merce.

THais dura, eademq; dira Laïs,
Scyllâ quæq; voracior furente,
Et latrante ſonantior Charybdi:
Circe quæq; nocentior petaci,
Et nocente petacior Caliſo,
Sirenumq; doloſior cohorte,
Harpyiâq; rapacior Celeno,
Et quicquid malum & execrandum ubiq; eſt.
Quippè tu miſeros tuos amantes,
Non tantùm excrucias & uris intùs,
Aut mutas in apros, tigres, & urſos:
Sed omnem exuis hiſce mentem, & omne
His famæ decus eripis, vorasq;
Opum quicquid habent: neq; hocce ſolum,
Abſorbes ſed & integros, retortis
Velut vorticibus patens vorago,
Carnem omnem ſimul exedens & oſſa,
Atq; in oſſibus intimas medullas.
Hoc monſtrum juvenes viriq; cauti,
Hoc monſtrum fugite, excubans in orâ

Lau-

Iam nunc Teutonici maris propinquâ.
Hæc est Thaïs acerba, amara Laïs,
Ad quam si modò deferantur imis
Malint Syrtibus aut rapi Malæa:
Ad quam si modò deferantur, olim
Thaïs nil ea, nilq; dura Laïs,
Nil erant Acheloides, Calipso,
Circe, Scylla, Charybdis, & Celeno.

De Delphine.

DElphin, pinnigeræ corona turbæ,
Pernix cœruleæ natator undæ,
Iucundos hominum ambiens amores,
Seu per littora curva, seu per altum
Spectes veliferis vehi carinis,
Qui nautas comitans q; lusitans q;
Libras corpora sæpius per auram,
Summos transiliens amore malos.
Quis nostræ dubitet tibi esse partem
Aut nostræ quoq; proximam esse mentis,
Aut vim syderis ignibus profectam,
Naturæ & tacitum latere semen?
Qui cantus tener es lyræq; amator,
Qui mari in medio cales amore:
Aut cùm fluctibus orta Cypris olim est,
Tùm tu fluctibus ortus es marinis.
Hinc dignus meritò videris inter

Cœli sydera conspici decorus.
Admirator, at euge, magne vatum,
Pro magno simul hoc amore vates
Conspectus hominum tibi frequentes,
Lyræ & perpetuos sonos precamur:
Et semper rutiles polo serenus:
Et mari nimio evolans amore,
Siccâ destituaris haud arenâ,
Tunc quo vectus erat canens Arion,
Cantillans Philomela quo levata,
Delphin, cæruleæ natator undæ,
Delphin, pinnigeri corona cœtus.

Luscinia vecta à Delphine. ex Græco.

HOrrentem Boream, & frementis auras
Thraciæ, fugiens misella Aedon,
Immensum super æquor evolabam:
Cùm mox lassula, vixq; fulta pennis,
Submisse ingemui, edidiq; vocem.
Ad vocem mihi visus est repentè,
Cano è marmore prosilire Delphin,
Qui summâ levis enatans in undâ
Blanditur, simul accipit parentem
Curvo tergore, remigatq; pontum.
Tùm dulci exhilarata voce nautam

Demul-

Demulsi medio canora ponto.
Pro naulo mihi vox erat: nec illud
Delphinos dare postulant Camœnas.
Mendax fama mari nec est Arion.

Delphin.

Cum Delphin veheret maris per undas
Magnum Arionа, Aedonemq; parvam,
Motus arte hominis, sono volucris
Nereus, Nereidesq; & ipse Triton,
Canis fluctibus evocati, eundem
Nautam, carbasa, remigem, carinam,
Spectabant simul, & simul stupebant:
Triton ante alios, suamq; vellet
Permutare suâ volucris artem,
Permutare lyrâ sonante concham.

AD
Dn. OZIAM CORDUM Pastorem Stadensem.

Quòd me Saxonicum vocas Poëtam,
Ut sic nominer atq; nomen illud
Fermè Saxonicas eat per oras,
Ozia venerande & erudite,
Ex mente hoc proficiscier faventi

Et scio, atq; ago gratias amico,
Nàm me Saxonis ora procreavit,
Quà florens jacet urbs ad Albis undas,
Hamburgum, (patria ô solumq; dulce)
Sed quid me moveat, vide, vocari
Cur me Saxonicum putem Poëtam:
Tu perdura vides & aspra saxa,
Ægrè & difficilè ut queant poliri:
Sic & ingenium minus politum,
Cultum quòd malè sumat elegantem,
Partim scilicet efferæ juventæ est.
Hoc me, Corde premit; neq; indè factum
(Inter tot mala qui rego juventam)
Iàm me Saxonicum nego Poëtam.
Quòd sic sæpè igitur rigore saxum
Saxosos q; imiter videndo mores,
Inter Saxones axe sub Boreo,
Hinc me Saxonicum voca Poëtam.

Pugna Michaëlis Archangeli & Draconis. ex Apocalypsi. 12. cap.

AD

M. GUERNERUM ROLEVINCIUM, Rectorem Scholæ Gambriviæ.

Lux hæc est sacra, luce quâ, Michaël,
Te læti canimus tuasq; pugnas:
Dux summus quia par DEO Michaël,
Christus pro grege prælians Michaël,
Victor lethiferi potens Draconis.
Has pugnas quibus intremiscit æther,
Quarum condidit inclytum triumphum
Vates in medio exulans profundo,
Ægæo mare quà sinu remugit,
Hoc Guernere die feres sub astra
Mecum carmine: tu quidem Pelasgo,
Ipse autem Latio, & simul canemus
Æterni ducis inclytum triumphum.
Ortum est æthere prælium frementi,
Princeps aligeri chori Michaël,
Pugnabat rutilis micans in armis.
Pugnabant sociæ simul cohortes,
Contra flammiferi impetum Draconis.
Squamosus simul & rigens in armis

Pugnabat Draco, & ipsius cohortes
Dirum è pectore virus evomentes.
At victus Draco & ipsius cohortes,
Nec victo datus uspiam est receptus,
Sed magno procul actus est Olympo,
Ejectus procul hinc Draco ille magnus,
Antiquus coluber tumens venenis:
Mendax, perfidus, & calumniator,
Adversans Sathanas DEO piisq;
Seductorq; hominum per orbis oras,
Omnis causa mali paterq; & autor,
Expulsus fuit ille ad ima terræ,
Expulsæ quoq; perfidæ cohortes.
Tum vox nuncia maximi triumphi,
Per celsa insonuit theatra cœli:
Nunc est parta salus, DEIq; nostri
Virtus inclyta, maximumq; regnum
Christi, factaq; maxima & potestas.
Qui noster DEUS atq; homo redemptor,
Culpam, regnum Erebi, necem, colubrum,
Delet, destruit, opprimit, retundit.
Salve victor id, supreme victor,
Humanæ dator & salutis autor.
Projectus siquidem scelestus ille est
Accusator, ad ora qui tremenda
Celsi Numinis & die atq; noctu
Accusans miseros, reos agebat
Peccati pariter reosq; mortis.

Hunc

Hunc vicêre trucem & necem minantem,
Agni purpureo cruore loti,
Qui pro labe hominum innocens in altâ
Oblatus cruce, victima expiavit
Humanum scelus omne, præmiumq;
Patri sufficiens dedit salutis.
Hujus sanguinis imbre tota culpæ
Labes eluitur, DEIq; vultum
Iusti nec trepidi metu tuemur.
Hoc pactum solidum unicum prehendunt,
Hoc verbum Patris è sinu relatum,
Amplexi cupidè & palàm professi,
Quod & tantum animis suis amâruntˌ
Vt non plus animas suas amarent,
Aust projicere has, parati & ultrò
Pulchram per gladios adire mortem.
Ergò lætitiâ & novo triumpho
Nùnc tecta aurea personate cœli,
Et qui vos colitis theatra cœli.

HENNINGI CUNRADINI Pöetæ Laureati *Liber* Carminum.

PARAPHRASIS *CAPITIS LIII. ESAIÆ LATINA*

Jesu Christo unico mediatori & servatori generis humani sacra.

PRæscius Amosides rerum Solimæa frequentans
Atria, quem sacræ vatem vis fecerat auræ,
Impellens pulchro simul os ac pectora motu,
Vnigenæ de morte DEI sceptroq; potenti,
Verba patris summi referens, sic ora resolvit:
Ecce mihi obstringit magno se munere servus,
Nempè meus servus, quamvis mihi filius idem
Mente meâ satus, æternoq; æqualis honore.
Grata tamen nobis etsi haud indebita nobis
Officia exequitur prudens, mediator ut inter

Meq;

Meq; hominumq; genus veniens jàm fœder[illegible]ngat
Meq; hominumq; genus, summi en sapientia cœli
Pro gente humanâ flammis mortiq; dicatâ,
Ad solium supplex nostrum venit, & prece poscit
Delicti veniam: mox & labentibus annis
Factus homo, recipit vestræ sibi pondera culpæ,
Et crucis infandæ pendet trabe fixus ab altâ:
Æneus ut serpens erectus constitit arvis,
Quandò venenatis serpentum adflatibus ægros
Aspiciens tristi populos ex morte reduxit.
At mox stelliferâ cœli exaltatus in orâ
Adq; patris dextram, secùm super æthera ducit
Servatos, abolens mortem vitamq; reportans.
At cui majestas vultus æterna serenat,
Nunc mœsta ora gerit tetro squalentia tabo:
Hamati incingunt vepres caput: imbre rubenti
Stillat cæsaries; guttis frons sparsa cruentis:
Dissciſſi flagris humeri, dissciſſaq; terga:
Crux etiam (miserandum) altè fert corpus in auras,
Et ferrei in trunco distentant brachia clavi,
Brachiaq; plantasq; & acutâ cuspide fixum
Pectus hiat, lato manat de vulnere mixtus
Sanguinis & torrens puræ & vis dulcis aquæ,
Singulaq; expressum largè dant membra cruorem.
Mortales stupuére omnes, mirantur & hærent
Deformi super aspectu temnuntq; jacentem,
Qui sese abjiciens, cœlumq; hominesq; relinquens,
Vltrò offert pœnæ; despectior omnibus unus,

Infra

Infra [illegible]os positus, fœdatior omnibus unus.
Corporis hic verò consperget sanguine gentes
Eluat ut turpi contractam pectore labem
Et penitus miserâ peccati à sorde repurget.
Tunc etiam trepido reges hunc corde tuentes
Ora prement, ultràq; volent nec tendere contrà
Sive armis dictisvè: nova hinc quos intus agit vis
Iusq; piumq; volent, & corda ferocia ponent.
Immò etiam nullus Christi cui nuncius aures
Perculit, exultans animis nova gaudia ducet:
Quiq; etiàm tenuis famæ vix ceperat umbram,
Attendet cupidè verbiq; ardore calescet.
At quam dicta fidem invenient? vesania mentes
Fascinat in lævum abreptas: quis noscere robur
Auxiliumq; DEI potuit dextramq; valentem,
Aut missi in terras sit quanta potentia Christi?
Consita planta velut secreto visitur horto
Arens atq; humilis, cum quâ spes tota residit:
Stat mœrens, neglecta avibus, contemta colonis,
Vixq; hæret sitiente solo tenuissima radix:
Mox ubi post imbres spargit Sol lumine terram,
Ampla, excelsa, virens, in quâ spes tota resurgit
Stat florens, habitata avibus, adamata colonis,
Virga caput tollens, & fundit in æthera ramos.
Non alitèr stirps visa fuit Iessèia ramis
Defecisse suis, divinum regia partum
Edidit ut virgo, quæ tunc sine nomine virgo,
Sed genitrix tamen alma DEI procul urbis avitæ

Mœnibus

Mœnibus hæc vixit, peperit tamen urbis avita
Mœnibus hæc Dominum cœli cui sidera parent,
Prisca licèt radix abstrusa jaceret in agro.
Sic oritur vili conspectus imagine natus
Ipse DEI, qui pressus humi, potuitq; videri
Desertus spretusq; DEO, quando æthere missum
Fulmen ab irato venit patre, cùm simul Orco
Emersit tortoq; volutus vortice typhon
Proruit ater humi, siccasq; attrivit arenas.
Abdita erat radix, cum quâ simul abdita vis est
Absconsa ad tempus, paulumq; quiescere visa.
At cœlestis erat vis hæc, nec condita mansit,
Cùm subitò emergens altas è pectore vires
Exseruit victor diæ & vim lucis apertam,
Vincula perrumpens mortis, subigensq; Draconem,
Avellensq; Erebi nigro de cardine portas,
Vt quondàm erupit crinitus viribus heros,
Vincens morte suâ, stratoq; ex hoste triumphans.
Mox remeans Orco, spoliis incedit onustus,
Seq; Deum fassus cœli transcendit ad arcem.
At quis splẽdor erat? quæ forma? aut quis decor oris,
Filius irato quandò luit hostia patri?
Nostra quidèm ligno cùm lumina fiximus alto,
Obtutu hærentes, nihil hic nisi triste dolorum
Spectaclum & gemitus conspeximus, omnia luctu
Squalebant, dùm tota suis Natura laborat
Membris: obductus tenebris horrentibus æther
Luget: terrificâ dùm Sol ferrugine vultus

Obte-

Obtegitur, fruſtràq; latens vaga Cynthia lucem
Mœſto à fratre petit, quatitur commota ſub imis
Viſceribus mater tellus, convulſa dedére
Saxa procul ſonitum, reboantibus æquore latè
Littoribus, fluctus ſeſe effudére marini.
Buſta etiam patuére & corpora lucis in auras
Emisére: pavor ſtravit pecudesq; hominesq;,
Viſaq; jam fracti eſt collabi machina cœli:
Et patitur patiente DEO, gemituq; dolorem
Teſtatur Natura ſuum Dominoq; parentat,
Inſons qui moritur, rectorq; & conditor orbis.
Occurrit paſsìm facies triſtiſsima lethi,
Immenſus dolor undiq;, & immenſi cruciatus
Corporis innocui, ac animæ quæ labe carebat,
Quaudò Deum ingeminans clamat mœſtiſsimus ore,
Non tantùm ſeſe vermem, & ludibria vulgi,
Sed ſe deſertum ac onus execrabile terris,
Cœlum inter terramq;, informi à ſtipite pendens.
Infra omnes quandò abjectus rigidisq; gemebat
Preſſus ab ærumnis & magnâ mole laborum,
Vndiq; criminibus caput in tàm lene coactis,
Quæ patrat accumulans totis gens impia terris.
Quem dum proſtratum & dantem ſua lumina letho
Vidimus, averſi penitus ſubmovimus ora,
Et nihil è cœlo miſſum curavimus alto.
Vnus at in cœlo qui tantùm inventus & orbe eſt,
Hic equidèm noſtros animâq; & corpore cunctos
Languores, quicquidvè mali contraxerat antè

Huma-

Humanum genus omne, tulit, legisq; severæ,
Fulmina, crudeles diras, pœnasq; sequaces,
Insultus Stygios, & amaræ spicula mortis:
Quicquid erat, paritèr cumulaverat ille dolorum,
Miroq; in solum se derivârat amore,
Ipse insons, & sic nostris cervicibus aufert
Immensam hanc molem quæ nos mergebat Averno:
Non hominum per ferre aliquis, nec fortior illo
Angelus evaluit tantam devincere luctam.
At miserum & demens hominum genus, omnia culpâ
Hunc meruisse suâ, missumq; à Numine læso
Supplicium haurire, & meritas expendere pœnas
Censuit. ô mentem cœcam, quæ stulta putavit,
Devotum hoc morti caput abjectumq; futurum,
Styx quià damnatâ nebulosa coërceat undâ.
Si quis at exitii causam nesciverit hujus:
Ipsi causa sumus crucis & necis atq; laborum:
Nos propter Christus peccataq; nostra cruento
Corpore tot retulit plagas, tot vulnera passus:
Nos propter tantos aggressus sponte dolores,
Quos nostrum peperêre nefas atq; impia facta:
Nos rea turba sumus, justæq; obnoxia morti.
Insons ille tamen nostræ durissima pœnæ
Pondera fert patiens, placatâ ut mente parentis
Spes veniæ detur, pax cordibus alma quiescat.
Sunt hæc sola super nostri medicamina morbi,
Vt saniem nostram sanies tua sanet abundè,
Et nostris plagis medeantur vivide plagæ

Christe

Christe tuâ mors morte cadat, sint nostra tuisq;
Vulnera vulneribus curata, dolorq; dolore.
Sicut oves vario in sylvis errore vicarum
Palantes, dubiis inter dumeta vagantur
Greßibus, & latè balatibus omnia complent,
Ignaraq; acuunt rabiem sub nocte luporum:
Sic quoq; nos densis omnes erravimus umbris,
Quisq; sibi placito quærebat tramite cœlum,
Cæcaq; mens recto deflexerat, oblita sordens
Criminibus fœdis damnataq; tota ruebat
Stirps hominum præceps quâ dirus hiabat Avernus,
Quâ Furiæ infestant, & lethifer excubat anguis.
At DEVS hanc hominũ causam, collectaq; in unũ
Crimina, & informes lapsus conjecit in illum,
In natum unigenam, molem qui gestat & aufert.
Hic patris ùt sævos irarum pertulit ignes,
Exsolvens animoq; & cæso corpore pœnas,
Infra mortales omnes ùt in orbe jacebat,
Non ullos fecit fremitus, non murmura vocis,
Sed placidè subijt casus, mentemq; paratam
Præstitit ærumnis, & summa silentia patri.
Vt silet ad sacras agnus cùm ducitur aras,
Hæsurum niveo expectans in gutture cultrum:
Sic etiam os reprimens, pœnis instantibus, ivit
Haud dubiam in mortem quâ saucius imbuit aram.
Aut ùt ovis quondàm vellus positura sub æstu
Ætherei solis, riguisq; abducta viretis,
Tondenti facilem dat sese & muta quiescit:

Non

Non aliter patris flammanti septus ab irâ,
Vincla subit Christus, clavis trajectus utrasq;
Plantas atq; manus, ferrum quoq; corpore sensit,
Et capiti infixos paliuri pertulit hamos.
At quamvis mediæ sese in discrimine mortis
Desertum clamans tristi vocet ore parentem,
Non tamèn haud ultrò est mortem perpessus acerbam,
Sed patris ingentem & justam sic exprimit iram,
Quam scelus orbicolûm labesq; antiqua meretur.
Liber at à pœnis & ab ipsâ morte reductus
Prodiit in lucem, monstrans sua membra serenosq;
In terris vultus moriens quos gesserat antè,
Conscenditq; polum & victor super astra triumphat.
Quis regni has vires, æternaq; secula fando
Enumerare queat? nec cœlum hos terminat annos.
At velut abscissus viventum à gente, subivit
Horrendæ arbitrium mortis, penitusq; repostas
Accedens Erebi latebras loca dira silentûm,
Jam victus potuit leto absorptusq; videri,
Cùm populi tulit omne scelus, gemuitq; sub alto
Pondere non propriæ culpæ damnatus & æger.
Impius est habitus, velutiq; infame sepulchro
Illatum est corpus gelidâ jam morte solutum:
Utq; alii reges, cum cæde & sanguine ad umbras
Descendunt mœsti, talis cum sanguine multo
Traditus est morti, & diras descendit ad umbras.
Non reus hic sceleris, nec fallax ore repertus,
Sed patris æterni rigida atq; immota jubebat

Regula Iustitiæ, meritam ut ferretur ob iram
Immensum æquivalens precium, quo crimina nostri
Cuncta piarentur generis, quod solvere nemo
In terris potuit tamen: Ergò temperat illam
Magnus & admirandus amor, ne morte periret
Omne hominum genus, ac Natum qui summus & idē
Unicus est, tantoq; oneri pœnisq; volentem
Destinat, & crucis erectæ conscendit in arâ
Sanguine stillantem roseo taboq; fluentem.
Vermis ut expresso teritur de corpore succo
Purpureo, & serum texta inficit alba colore:
Totius in cruce pro cuncto sic crimine mundi
Victima Christus obit qui mundi conditor ipse.
Victorem colet hunc latè collecta per orbem
Posteritas, per eum longè decreta patebunt
Consilii arcani posita est ea meta laborum,
Perdita cùm reparata salus & pristina vita.
Perfectum est ingens opus hoc & cura salutis,
Felici eventu, mirandoq; omine: supplex
Victor ovat, vita est crudeli tradita morti
Mors vitam retulit miseris, morbusq; salutem:
Sub pede contusus serpens, destructus Avernus.
Corpore mors animam tristem secluserat, artus
Lurida fœdâraq;, rubenti sanguine membra
Stillabant: sed cùm sua spiritus ossa revisit,
Immortale statim decus his adflavit, ut ultrà
Munere lætitiæ æterno perfusa fruantur.
Sic decus amissum totus qui criminis expers
Iustitiæ reddit, diris & morte tremendis

Infer-

Inferni pœnas, tormentaq; sæva repellit,
Abluit & sordes patriam restinguit & iram,
Dat sancti flatus ignes, pietatis amorem
Excitat, æternæ restaurans munera vitæ.
Sic justus meus est servus, dùm sedulus implet
Officii ingentis partes reparatq; salutem.
Hæc tamen ille meus peperit quam sanguine servus
Iustitia est hominum modò quis sibi vindicet illam.
Hos turpi absolvit peccati labe redemptos,
Notitiâq; sui justos facit atq; placentes.
Ergò jam latos populos ex omnibus oris
Et magnum augustâ regnum ditione tenebit,
Subjicietq; sibi verbi virtute rebelles,
Conficiet colubrum, spoliabit tartara victor,
Atq; petet cœlum spoliis ingressus opimis.
Namq; volens animam digno tamen absq; reatu
Obtulit, & mergi se funere passus acerbo est:
Creditus est autor scelerum, mediusq; pependit
Prædones inter transversi in robore ligni,
Humanæ portans pœnas & crimina gentis.
Cùmq; necem subiens quâ turpior altera nulla est,
Unum pro multis caput objectavit Averno,
Limine sub mortis pro sævis hostibus orans
Deposcit veniam, patremq; in vota vocavit.
Hæc ego tentavi, dùm tellus luget & æther,
Et sol obscuris obvelat nubibus ora,
Ausoniis memorare modis, quæ præscius olim
Æthereo monitu prædixerat Esaias.
Exiguas vires sed promptam in carmine mentem

Christe vides: tua sancta pedum vestigia adoro
Supplex, tu sacri robur mihi Flaminis addas,
Ut tibi grata canam, generiq; accommoda nostro
Pertæsus stultæq; operæ, lususq; prophani
Quo gens sæpè hominum terit irreparabile tempus.
Adsis Christe precor precium tu dulce salutis,
In cruce qui pendens nobis tua brachia gratos
Pandis in amplexus, tua comis ad oscula labra
Porrigis, & vultu mitti circùm allicis omnes.
Tu mea purpureum stilles in vulnera rorem,
Qui sordes q; meas, & avitam pectore labem
Abluat, & purum sistat cœloq; receptum:
Sic nomen bone Christe tuum, sic maxima semper
Fama tuæ preciumq; necis, laudesq; manebunt.

In nuptias
Dn. PHILIPPI MEVRERI
Philosophiæ & Iurium Doct.
&
CATHARINÆ MOLLERIÆ. Idyllion nuptiale.
Albis & Napææ.

DUm canimus tranquilla sacræ connubia tedæ
Et sociale jugum, laudes q; & facta parentum,
Pulcher Apollo fave; comites huc ducere fas sit,
Si quando ad thalamum, citharas, atq; ora resolvant,

Quæ

Quo capiet sponsus dulci cum virgine somnos:
Pierios amat hic cantus & fila sororum,
Castalios amat illa sonos & carmen Hymetti.
Tuq; adeò Guilielme meos ne despice lusus,
Qui Charitum residες campo Themidisq; sacrata,
Iustitiam monstrans populos hoc munere donas:
Quem simul illustresq; duces, urbesq; potentes
Ingenium propter, propter virtutis amorem
Iudiciumq; colunt simul addunt laudis honores.
A templo rediens jam celsi limina tecti
Intrat, & augustos pulcro videt ordine cœtus
Lætitiam sponsus meditans sub corde Philippus:
Ingenii præclara tenet qui dona Philippus
Qui tenet Astræâ juris dominante vigorem,
Et veteres legum tabulas arcanaq; sensa.
Hic decus Italiæ lustrans & Gallica regna,
Res magnas ibi vidit agi, titulosq; reportat.
Ut modò congressum sensit pulcherrimus Albis,
Albis veliferas qui gestat ab æquore puppes,
Attollens oculos glaucos, barbamq; madentem
Permulcens manibus, sic est effatus ab imo:
Sic ego, sic video sponsi sponsæq; decentis
Currentem sine nube diem sortemq; benignam;
Et mora parva, solum spectans sic est pater orsus:
Sistite flumineas hùc urnæ sistite lymphas.
En virgo præstans Guilielmi *filia prodit*
Molleri, *facilem pingit natura puellam,*
Qualis ad Eurotan est formosissima Nymphas

Inter, & excepit modulantes gutture cygnos.
Sistite flumineas hùc urnæ sistite lymphas.
Quis laudes Guilielme tuas benefactaq; dicet?
Quo vetus urbs Nemetùm: cum divo cæsare claris
Alta Vienna viris: quo Dania fœta triumphis
Plaudit, & exsurgens fœcundis Frisia campis:
Atq; ovat ancipitis populosa Colonia Rheni:
Quin etiam Hesperio florens hic principe gaudet
Qui tenet immensum Oceanum qui florida regna.
Sistite flumineas hùc urnæ sistite lymphas.
O Hamburga mihi multis charissima seclis,
Hinc decoris quantum surget tibi, & æmula magnis
Gloria? quà suprà currit sol altus & infrà,
Nominis hìc meritam tollit Prudentia famam:
Laus hæc est sancti memorabilis aucta senatus
Cœlica cui pietas elucet & ardua virtus:
Qui servare solet rerum statione merentes,
Qui decus hinc nectunt atq; indelebile nomen.
Sistite flumineas hùc urnæ sistite lymphas.
Tu quoq; Nicoleos nostram Vogelere per urbem
Clarus: & eximiam meruit sapientia famam.
Vrbs colit hunc, & amans pia consulis ora veretur:
Hi tituli tamen haud tituli sine rebus: aguntur
Res graviter, virtus celebris spectatur agendo.
Tanta viri latè prudens facundia nota est,
Quanta ea quâ sapiens resonat maris æquora Nestor.
Sistite flumineas hùc urnæ sistite lymphas.
Hæc simul affini constringunt pectora vinclo

Cùm

Cùm conjurantes æqualia jura tuentur
Alma fides, & amor patriæ, jucundaq; merces,
Optima cùm tribuit meritorum præmia virtus,
Eruta Romanis celebrantur qualia fastis.
Sic proprias jam spectat agi Respublica partes.
Sistite flammineas hùc urnæ sistite lymphas.
Addita quin pietas, fovet hìc quæ femina dux est:
Fortibus hic Cocles, his cedit Curtius armis:
Et claræ veteres opulentæ laudis Athenæ:
Et quos Massiliæ flores Venus aurea sumit,
Et thalami leges, prisca & monimenta virorum.
Sistite flumineas hùc urnæ sistite lymphas.
Nunc etjam egregii referamus dona Philippi,
Qui puer Aonios fontes & tesqua sequutus;
Contulit & sedes cui Lipsia culta paternas,
Et studium antiquum juvenis, simul abdita legum
Explicat, & reperit thalamos & gaudia lecti.
Cui genitor medicis Meurerus *& artibus acer,*
Naturæq; sciens rerum cœliq; micantis:
Et sequitur doctum proles quoq; docta parentem.
Sistite flumineas hùc urnæ sistite lymphas.
Hic labor in pretio, DEUS *huic conjunxit honores:*
Testis arenoso qui gurgite volvit Elister
Cæruleas undas, nobis cognatus Elister,
Et Camerariades fuit hic, & gloria linguæ
Effudit sese triplicis, doctrinaq; rerum.
Fundite flumineas hùc urnæ fundite lymphas.
Filius Ausoniæ fines procul ivit & urbes

Aerias cupidè, fuit alma Bononia mater,
Visa, Medusæam dedit illa videre cohortem.
Roma adita est, Tyberisq; ingens, doctusq; Muretus.
Hinc Galli regno, & quà Sequana labitur undis
Fecit iter: mentem quà plurima pascit imago.
At nunc fata simul sponsæ, & felicia sponso
Nectite vos Parcæ, atq; ævi parcite flori,
Dulcia qui vobis cumulabunt dona quotannis.
Fundite flumineas hùc urnæ fundite lymphas.
Tantum hic & motu simul urna immissa repentè
Effluit. At virides genialia culta Napææ
Servantes hortorum alacres ivêre per herbas,
Ut ferrent pariter sponsæ & nova munera sponso;
At vixdum desævit hyems, tenet æthere Titan
Stelliferos Pisces, Aries mox vellera pandet,
Dùm producit ager flores & germina sylvæ:
Dùmq; favet placida aura canunt sic rure Napææ:
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.
Ede sonum levis aura, capit simul aura calores
Spirantis Phœbi, fœtus etjam aura benignos
Procreat his hortis, & terra feracior omni
Ipsa loco est, hominesq; DEUS vult vivere terris.
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.
Qui thyma, qui chaltas, qui purpureos Amaranthos,
Lìliaq; & croceos flores, pulchrumq; Hyacinthum
Et rores mariis aspiciens, vos crescite, dicit:
Convenit at certis sic vivere legibus omnes.
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.

Mune-

Muneribus calathos plenos tibi sponsa feremus,
Nunc ferimus tantùm violas, jam vere per agros
Enatas primùm, cœli hæc natura nivalis:
At nove sponse thorus tibi sternitur ecce jugalis.
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.
Insidens amor altè animis, amor oscula suadet,
Labitur & paribus felix Concordia pennis;
Huc adsit facili currens pede fertilis ætas.
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.
Nunc tantùm rutam (manet hæc quia sola) virentem
Mittimus, illa tibi pectus communiat ardens.
Puniceum flavo miscens nunc ipsa colorem
Contextit viola, atq; halans odor omnia complet:
Et superest quicquid, quod suavibus exeat arvis,
Hoc ferimus largè, tu læto suscipe vultu.
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.
Filius exacto jam tempore vagiat infans,
Veraq; in mediis quærat turgentia cunis,
Rideat & mater, puer hanc dum noscere pergit.
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.
Sunt folia arboreis hamata & frondibus hærent,
Ante fores illas statuunt: è virgine lauro
Exornant alij tua limina sponse, parantes
Qui cingat tua tecta & pòst tibi veris honorem.
Ede virescentem violas hùc ede per hortum.
Vos Dryadum nunc expectamus, Hamadryadumq;
Lætantes choreas: nos primâ æstate parantes
Seligere & flores, & lilia cana viretis,

Tunc & Narcissum, tunc alba liguſtra legemus.
Sparge viresćentem violas hùc ſparge per hortum.
Tu quoq; lætus Hymen refer huc faculas ardentes,
Dulcis Hymen tenero comitate Cupidine prodi:
Et niveæ veniant triſtes in amore columbæ,
Prodeat exoriens rutilo dum veſper Olympo:
Tum capiet ſponſus pulchrâ cum virgine ſomnos.
Sparge viresćentem violas hùc ſparge per hortum.
Sic riguis pratis faciles cecinére Napææ,
Et modò quod ſupereſt gelido ſub vere reſervant.

DE LÆLIA.

CAndida fulgentes in me vertebat ocellos
Lælia, & eſt geminas ſpargere viſa faces.
Dulcibus indè fuit dignata reſolvere verbis
Ora, ſtatim viſa eſt tunc mihi Suada loqui.
Addidit amplexus: amplexibus oſcula junxit:
Tunc animæ partem ſenſi abiiſſe meæ.
Ergo tuo poſthàc ego pectore Lælia vivam,
Et tantâ heu vitæ parte carebo meæ?
At partem oro tuæ mihi redde per oſcula vitæ,
Et vicibus gratis ſpiritus æger eat.
Sic mihi purpureis celebrabere Suada labellis,
Sic mihi erunt oculi ſidera bina tui.

DE

DE EADEM.

ECce refers pulchros flores mihi Lælia: verùm
Lilia tu vincis pectore & ore rosas.
Vtraq; sed niveus vincit sub pectore candor,
Vtraq; sed roseus vincit in ore pudor.
Nam cùm marcuerint & lilia pulchra rosæq;:
Corde tuo remanet candor, & ore pudor.

AD AMICUM.

INclyta per varias petitur victoria luctas,
Es modò quem dubites vincere, victor abit.
Pertuleris duros nisi fortiter antè labores,
Vt pugil in circo, non erit ulla quies.
Optima sed virtus, animi cohibere furorem:
Hic palmâ ornandus duplice victor erit.

Ex dicto Jesu Christi, DE IMAGINE SERPENTIS à Mose erecti.

ETrabe suspensum Moses erexit ut anguem
Agminis in medio vasta per arva sui.
Sic quoq; sublatus crucis est in stipite Christus
Filius ille hominis, filius ille DEI.
Ne quis respiciens Christum sub morte resideat,
Sed capiat vitæ munera parta fide.

DE

DE MORTE VICTA A CHRISTO.

UT, quamvis cieat varios gyrata susurros,
Haud tamen, amissâ cuspide, vespa nocet:
Sic licèt incutiat varios mors sæva tremores,
Attamen ereptâ cuspide victa jacet.
Victor adest Christus mortis qui spicula frangit,
Nos quoq; victores mortis hic esse facit.

OFFICIA GALLINÆ APplicata ad Christum, Luc. XIII.

INcubat assiduè gallina tepentibus ovis,
Excludens pullos fida vigilq; suos.
Mollitèr exclusos tegit amplexantibus alis,
Corporaq; arcano nuda calore fovet.
Aptaq; deductæ legit undiq; grana cohorti,
Duxq; suâ semper prævia voce regit.
Dispersos glocitante vocat quoq; gutture pullos,
Præstat & officium sedula matris avis.
Acriter accipitri milvisq; rapacibus obstat,
Et rostro atq; alis agmen inerme tegit.
Sic Logos â prima nos fecit origine mundi,
Nos renovat flatu, cordaq; purgat aquâ.

Hic

Hic fovet alarum verbo collecta sub umbris
Agmina, conservat, protegit, ornat, amat.
Ætherei succos per prata virentia verbi
Sufficit, imperio ducit agitq; suo.
Congregat errantes passim, revocatq; sub alas,
Seductasq; suâ voce reducit oves.
Vim Sathanæ contra pugnat sævosq; tyrannos,
Dux armis, ortu frater, amore pater.

De Pace & Iustitiâ.

CAna Themis binas fertur peperisse Tonanti
Filiolas Pacem, Iustitiamq;, Deas.
Hæc gladium gestat cum librâ, & in orbe tuetur
Æquo jure bonos, tollit & ense malos.
Altera, quam longis Concordia nutrit ab annis,
Alma fovet populos, divitiasq; parit.
Tertia Religio est, summi quam maxima patris
Progenies cœli promsit ab arce Logos.
Hæc tria florebant alto data pignora cœlo,
Cum nondùm est pluviis obrutus orbis aquis.
His etiam felix Salomonis floruit ætas:
Sed nunc heu vitiis pulsa dedére fugam.
Hinc æther tenet Astræam: cœtuq; beato
Cœlicolûm sedem pax tenet alma suam.
Saucia Religio multo sed vulnere passim
Concidit, & sociis non habet ægra fidem.

Hybris

Hybris at Astræa, Irenæ succeßit Erynnis,
Inq; locum subiit Religionis Eris.
His sacra versantes flammam tribus armaq; subdum:
At pulsis poterit quæ tribus esse salus?

DE VENDITIS ECCLESIIS in Belgico.

NOn satis est Latii furias æquare tyranni,
Et premere innocuos viq; doloq; viros.
Quin sacra jàm vulgo prostant venalia Christi,
Est levis errantes prodere ludus oves.
Heu pudor, heu pietas, verbi vix luce receptâ
Omnia in antiquum degenerare chaos!

DE IOHANNE SCOTO Sophista.

DVm studet à vero captas deducere mentes
Et Scotus ambiguâ ludit in arte vafer:
Callidior mors arte suâ deluserat artem,
Et vitæ dubium reddidit atq; necis.
Ille animam ceßisse suo de corpore credens
Effertur, vivens contegiturq; solo.
Mox fraudem agnoscens se vivere sensit: at ægrum
Impositio corpus succubuit tumulo.
Quisquis es ambiguâ fortè & tu morte peribis,
Qui seris ambiguâ dogmata mixta fide.

ALIUD

ALIUD IN EUNDEM.

MOrtuus an vivus sis argutissime dicas,
Alloquitur præsens mors inopina Scotum:
Sed qui tot variis perplexa sophismata nodis
Texuit, hoc nequiit solvere, & interiit.

De cereis sacrificulorum.

CLara sed angusta est ad cœlum semita, sed quæ
Ad Styga deducit, nigra sed ampla via est:
Indiget hæc multâ via lampade: lumen at unum
Cœli te rectâ ducet ad astra viâ.

Emblema de Tempore.

CLepsydra stat geminis utrimq; volatilis alis,
Quam rosa purpureo grata colore tegit.
Supputat hæc horas, annos notat ala fugaces,
Atq; hominum vitam flos docet esse brevem.
Sic breve tempus agas ut humi cœloq; superstis,
Hoc monet ante oculos clepsydra, penna, rosa.

ODE

ODE
In nuptias
GEORGII BUSCHII,
&
ANNÆ PAWELSEN.

Sic tu, Georgi, quem pater educans
Ad Albis undas erudiit piè
Virtutibus natum decoris
Buschius & gravitate morum:
Iam ducis Annam, *legitimo tibi*
Nexu jugatam, quam genitor dedit
Franciscus ornatam decenter
Dote Pudicitiæ nitenti.
Ac forma donum Numinis hìc adest,
Conjunx Vlyßi Penelope velut
Vixit voluptas, atq; fulcrum
In mediâ fuerat senectâ:
Hic talis Anna *est: Iamq;* Georgium
Iunctis fovebit candida brachiis,
Quales in amplexu vicißim
Oscula mixta ferunt columbæ.
Iam qualis altâ turtur in arbore,
Et ore & alis leniter insonat:
Ramisq; curvatis cientur
Vere sub hoc tepido volucres:

Qualis

Qualis virenti tinnula populo
Sedens Aëdon Dauliadas gemit,
Itym flet & Prognen sororem
Thrêïcio modulata cantu:
Aut cerva luco ceù tacito vagans,
Gratum mariti jam latus appetit:
Et frigidam latè fugaces
Hinnulei properant sub umbram:
Desiderantem sic sequitur virum
Formosa virgo, blanditias ferens,
Et conjugalis dans amoris
Pignus, & accipiens vicissim.
Est orta mater stemmate Sylvio,
Quod pervetusto nomine nunc viget:
Patrisq; dignis fama factis
Nobilitata magis refulget.
Devincit ambos relligio sacra:
Uterq; castis gaudet amoribus,
Sic implicatos ceu cathenâ
Copulet hos sociale vinclum.
Sit teda felix, adsit honoribus
Hymen dicatis connubio tuo,
Ac alma pax ædes frequentet,
Adsit Amor, studiumq; concors.
Ut veris almo tempore concipit
Ab igne solis mollis Amaracus,
Fœtum calorem sic amantûm
Occipient in amore flammæ.

Amœna vitis flexibili velut
Dulces sub auras palmite germinat,
Ut fertilis ramos olivæ
Aspicimus vegetante palmâ:
Sic uxor & sic frondea liberi
Umbracla texent: at pietas coli
Est digna, virtutem sequentis
Duxq; comesq; chori relucens.

AD D. BURCARDUM MITHOBIUM Artis medicæ Doctorem cognatum suum. De situ Urbis Hamburgæ, & studiis suis.

TE dum cura vocat patriæ, creberq; frequentes
Limina celsa Ducũ, vel mandas acta, Mithobi,
Claraq; victuris Heroum nomina chartis:
Aut succis tentas hominum producere fata,
Intendisq; moras Erebo, Parcisq; severis:
Dispicis aut cœliq; vices, causasq; latentes:
Ecquid adhuc dulces pertentant pectora Musæ?
An vetus est satiatus amor, languetve senectâ?
An curæ impediunt? adeò tamen ille gravantis
Exhaustus nondum senii vigor, ardua nec tàm
Vis est fracta animi: quamvis nunc alba coloret

Tempo-

Tempora canicies, nigris aſperſa capillis,
Et niveas cani plumas imitetur oloris.
At feſſum memini curis te ſæpè moleſtis
Furari mentem, & doctis impendere Muſis,
Qui quondam puero gratus labor, una ſenilis
Nunc animi requies, & mulcens corda voluptas.
Nam tibi quæ tereti dicuntur carmina filo,
His blandæ aſpirant Charites, tinguntq; lepore,
Et redolent flores, quos fert aut dulcis Hymettus,
Vel thyma, quæ ſurgunt Hyblæ fragrantibus arvis.
At noſtri num reſtat adhuc tibi cura Mithobi?
Omnia dum trepidò fervent, hinc inde, tumultu,
Sæva nec obſcuras portendunt fata ruinas:
Inter & hæc verſer qua nunc ego ſorte requiris,
Quavè morer terrâ? dum te Burcarde morantur
Vel gelidæ valles ad amœni flumina Fuldæ,
Aut te cauſa Ducum (nec ſeris parcitur annis)
Nimbiferos celerem cogit tranſcendere montes.
Me vicina mari tibi ſeparat ora ſub Arcto,
Vertice ſublimi quà pulcras deſpicit urbes,
Quæ pelagi ſalſas horret fera Mœnalis undas.
Merſa vadis tellus, generoſis proxima Cimbris,
Gambriviis olim ſedes habitata colonis.
Eruta nam priſcis Peucerus nomina chartis
Tradidit hæc, doctis Peucerus nomina chartis
Ipſe ſibi pariens famam quibus æquat Olympo.
Manſit adhuc urbi nomen, quà proruit æquor
Albis in occiduum ſpumans, & ripa fluentis

Tunditur ambiguis, variant quia lege perenni
Vnda solumq; vices: modò quæ sub flumine tellus
Nusquam erat, ad solem emersas mox siccat arenas.
Iam veluti nunquam rediturа, rapacibus æquor
Cursibus unda petit, seseq; immiscet aperti
Fluctibus Oceani, fundiq; relinquitur imum.
Vortice mox refluo terras operire retectas
Æstuat, immissos vix accipit alueus amnes,
Et dubites salso fluctus restare profundo:
Sexq; viæ, pontum cum lapsibus influit, horæ,
Sexq; viæ, ponto cum lapsibus effluit, horæ.
Vis ea Luna tua est, hoc jus tibi cessit aquarum,
Tu pelagi moderaris aquas, & limpida regna,
Fluctibus hinc varium refluentibus æstuat æquor,
Et vada sorpta semel revomit mox pectore Tethys.
Nam simul ad dominæ variantia lumina Phœbes
Composuit sese facies maris, aut vada ponto
Spumea se tollunt, aut subsidentia sensim
Occultas petiêre vias, pars exit in auras:
Sic videas minui, Lunæ cum lumine, flumen,
Augeriq; novum, ponti cum flumine, lumen.
Sed mihi non penitus mens est exquirere causas,
Quas aciem intendens ratio, liquidosq; peragrans
Et maris & cœli tractus, arguta recluſit.
Hic tantùm studij curas exponere nostri
Instituo: fors hæc exactiùs ordine pandet
Naturæ rerum gnarus causæq; repostæ,
Singula dispiciens Esromus acumine mentis,

Argo-

Argolicæ haud unquam indignus, terræq; Latinæ.
Ipse vel herboso ducens in littore gressus,
In mare veliferas Albim deferre carinas
Specto, recurrenti vel ut hospita carbasa ponto
Advehat, & tacto lætetur navita portu.
Aut vada nota peto, canos quibus Alstria cygnos
Lenis alit, tenerâ præcinctus arundine ripas,
Frigidulæ spirant riguis ubi vallibus auræ,
Solaq; respondet riguis è vallibus echo.
Hic gelidum ad flumen suffultus cespite vivo,
Populus incumbens quâ frondibus integit undam,
Incido steriles in levi cortice versus.
A Boreâ tamen aura favet, ripâq; sonantes
Leniùs ad numeros decurrunt Alstrides undæ.
His mea jamdudum sumens exordia ripis
Ranzovias, calamo deduci spernit agresti,
Clangentesq; tubas amat, & cupit ære cieri.
Cum verò rigidis mens lassa quievit ab armis,
Integro vel molles elegos, vel læta jugalis
Gaudia decanto tedæ, vel funere mersis
Inferias ego solvo viris, mihi funere merso
Quas alius solvet quondam, si solvet, & haud me
Sub primo ignotum rapiet mors flore juventæ.
At potius nunc læta canam, nec tristia curem,
Floribus & dulces texant mihi serta Napææ.
Tuq; adeò duplices refer optima Nāias amnes,
Ingentes liquido qui cingunt agmine muros,
Dum ripis moror ipse tuis, solorq; labores:

Sic curæ fugient, & fallet tempora cantus.
Alter ab aurorâ per Cimbrica rura volutus,
Aëriis priſcum tenet Alſtria nomen ab alnis,
Secretasq; ſecans valles, latus alluit urbis
Porrectum ad gelidum Boream: hîc obice valvarum
Obſtructæ cohibentur aquæ, non ſegnius unda
Gurgite præcipitat tacito, collectaq; in horas
Vis creſcit fluviorum ingens, inſtarq; patentis
Exſpaciata freti lato diffunditur alveo.
Hinc foſſis præbentur aquæ, ſtrepitansq; ſonoras
Impetit unda rotas, & agens terit hordea ſaxum.
At ſub aquis poſuêre fores, quibus unda remitti
Arcerivè queat, ſuperans hinc Alſtria in Albim
Cum ſonitu ruit, & falſum comitatur in æquor.
Major at Albis aqua, propiorq; madentibus Auſtris,
Per pingues Senonum campos, Miſnèidaq; oram,
Ulteriuſq; vagans per opacos ilice lucos
Antiquæ Hercyniæ, quâ defert nomen & ortum
Fontibus undenis: hîc totis effluit arvis,
Albis Parrhaſidum fluvius regnator aquarum,
Aut dirimit terras, aut merſas obruit undis,
Hinc meſſis quoq; nomen agris, quos ſæpè quotannis,
In morem Nili, ſed non ſine murmure vaſto,
Excita nimboſis fœcundant flumina ventis.
Ad notas reſidens hîc Albidos accola ripas,
Solis gaudet aquis, nec præferat altera rura:
Aut capit ex imo piſces, aut dejicit alto
Figere doctus aves, magnam quas portet ad urbem.

Ardus

Ardua sed medio quà sol ex æthere spectat
Mœnia, totus obit, lateq; ruentis aquæ vi
Albis inaccessa munimina circuit urbis.
Nec satis ingenti muros ambire meatu,
Quin urbis penetrat thalamos, ubi limpida tendit
Brachia multifido tractu, per tecta viasq;:
Hinc liquidæ ambages, & fluminei labyrinthi,
At vada roborei præstant non invia pontes.
Huc curvas duxére rates, mediamq; per urbem
Unda vehit puppes, & tangunt nubila mali,
Tectorum æquantes summis fastigia pinnis.
At pulcræ licèt humectans Hammonidos imum
Abluat unda pedem, fluvio tamen altior extat,
Nec cannis latet illa suis, juncovè palustri,
Aurea turrito sed vertice sidera tangit,
Tectaq; magnifico cultu, sedesq; superbas
Incolit, Albiacas inter pulcherrima Nymphas.
Sed retrahas hinc Musa pedem, majora supersunt
Quæ frustra brevibus tentes includere metis.
Hæc aliàs mihi carmen erunt, si quandò solutis
Ocia succedent, versa vice, libera curis.

De C. Iulio Cæsare.

Quandò senescenti subierunt ferrea mundo
Secula, tunc ferro pervius orbis erat:

Et ferro abstrusas perrupit Iulius oras,
Et summi imperii quartus hic autor erat.
Quique penetranti superaverat omnia ferro
Non nisi ferri acie victus & ipse fuit.
Cumque tot effuso præmisit sanguine manes,
Haud siccum moriens ad Styga fecit iter.

Maximilianus I. Romanorum Imperator.

MAxima Romani quem cura requireret olim
Imperij, & cujus maxima facta forent,
Maximaque eveheret cœlo quem fama; vocatus
Maximus hic infans Æmilianus erat.
Maxima vicerunt fatale at pectora nomen,
Maximaque invictæ munera mentis erant:
Maximus hunc præfert Fabius sibi: Julius effert
Maximum & Æmilij, Scipiadæque vocant:
Maxima nam pariter fulserunt omnia in uno,
Imperium, nomen, pectora, facta, decus.

De Carolo V. Romanorum Imperatore.

CÆsareum fulvo junctum diademate sceptrum,
Cum cessit fato, Carole dive, tibi,
Addita tunc fuerat niveis Victoria pennis,
Ut comes hæc sanctum clauderet alma latus.

Sub-

Submìsere tibi pulchrum mox lilia florem,
Captaq́, te leni Cæsare Roma fuit.
Non satis Europæ, non Africa victa; nec ultrà
Iam tellus Asiæ, Turcaq́, pulsus erat:
Quin ea quæ nobis obvertit America plantas,
Et fortunatis littora fluminibus:
Cannibalesq́, truces agnoscunt jura potentis
Cæsaris, & dominæ mitia sceptra manus.
Quatuor imperij tanti bis lustra fuerunt,
Quæsiit ùt senij tempora grata sui.
Tunc sceptrum fratri dedit, imperiiq́, coronam,
Optans sic placidum mortis obire diem.

Ferdinandus I. Romanorum Imperator.

DVm gerit imperij summas Ferdnandus habenas,
Alma quatergemino floruit orbe quies:
Frater & assiduis peperit quam Carolus armis,
Pax oleæ gessit fronde revincta caput.
Splendida Musarum passim monumenta vigebant,
Squalida Mars tenebris abdidit arma situ.
Tunc celebres precio decorati & laude Poëtæ,
Gesserunt cultis laurea serta comis:
Naturæ causas latitantis acumine celsi
Ingenij Cæsar quærere suetus erat:
Aurato sapiens aderat moderatio sceptro;
Auxit & hic sacrum providus Imperium.

Avocat interea DEVS hunc ad sidera cæli,
Quo nullus vitâ dignior orbe fuit.

Maximilianus II. Romanorum Imperator.

MAximus ut positus fuit Æmilianus in urnam
Cæsar, qui tanti nominis alter erat:
Pax aderat simul, & Concordia mœsta parentans,
Vt cineres fusis condecorent lachrymis:
Adfuit & Mavors viridis qui facta juventæ
Heroïs tanti, primitiasq; refert;
Et monumenta tenet nocturni clara pericli,
Quod tulit Hispanis sors male fida jugis.
Hinc maris & terræ pugnas, casusq; repulsos,
Quos â Threïciis Turca minatur aquis.
Cæsaris hîc addit varias sapientia dotes,
Quæ Dux in vitâ fida comesq; fuit.
Laudat & eloquii vires, mentemq; benignam,
Numinis & cultum, justitiæq; decus.
Omnia quæ fragili tenuerunt corpore sedem,
Quod nunc sub gelido marmore condit humus:
Dum cœli puras redivivum surgat in auras,
Cumq; animâ æternum floreat ante DEVM.

De

De HENRICO FERREO, Comite Holsatiæ.

Quod fuit Alcidæ tibi robur, Ferreus olim
Dictus es à seclo Dux generose tuo.
Inclyta te Regis susceperat aula Britanni,
Crescere cùm virtus est tua visa nimis:
Hîc rapidum intrepidâ compescens voce leonem,
Emissum claustris in tua fata, domas.
Imponisq; feræ demtam tibi crine coronam,
Vertice quam poterat demere nemo feræ.
Inde ducem præsul Romanus ad arma vocavit,
Clàm parat hìc Italûm turba maligna necem.
Sed DEVS illæsum dedit hos evadere casus,
Italicas fraudes, & Libycæ ora feræ.
Plùs valet Heroum fato Fortuna severo:
Principis est virtus vindice tuta DEO.

In sepulchrum D. Maximiliani II. Rom. Imperatoris.

Pax, Aquila, Imperium, Virtus, Ecclesia, Musæ,
Debilis, atra, tremens, lugubris, ægra, nigra,
Luctu, aliis, membris, cultu, pallore, dolore,
Aure, sono, gestu, pectore voce, modis,
Attentè, mœstum, variè, grave, tristè, sonorè,
Stat, plangit, luget, congemit, horret, eunt.

Volat,

Velat, convellit, ferit, obtegit, angit, obumbrant,
Os, plumas, pectus, lumina, corda, genas.
Spem, Dominum, Patrem, cultorem, heroa, patronum,
Plorat, obit, recolit, concinit, ornat, amant.

Aliud.

ALbis, Danubius, Rhenus, Pogneſſus, Eliſter,
Portu, præſidio, Cæſare, ſpe, decore,
Amiſſo, demto, rapto, moriente, cadente,
Turbidus, attonitus, tardus, amarus, inops,
Verticibus, lachrymis, ripâ, ſcaturigine, lymphis,
Reſluit, excurrit, torpet, inundat, obit.

In effigiem
IOHAN. RANZOVII.

TAlis Iohannes facie ſpectandus & armis
Ranzovius, pugnas quando ciebat, erat:
Stirps hæc Ranzovidum ter centum floruit annos,
Inclyta quâ veteri Cimbria laude viget.
Accendit juvenem Virtus, & gloria Martis,
Cùm petiit vaſto regna Britanna mari.
Vidit & Heſperiam, Creten, Solimæq; ruinas
Et Syriæ populos, Argolicasq; plagas:
Venit & Italiam: poſt tot diſcrimina reges
Præficiunt armis imperiisq; ducem.
Sceptra bis ancipiti repetivit Danica bello;
Hunc ſtupuit trepidis Trava cruentus aquis.

Ditbmar.

Dithmarſos acie vicit, regisq; ducumq;
Auſpiciis, priſcos fortiter ultus avos.
Nec minus hic pacem coluit, quæ Marte repulſo
Extulit ad Boream Pallade cincta caput.
Nunc tanti Herois laudes veneratur, & efferæ
Cimbria & Arctoo proxima regna polo:
Virtutesq; patris nati virtutibus æquant
Et genere, & tanto dignus uterq; patre eſt:
Contulit Henrico clypei quia tegmina Pallas,
Et Paulo Mavors arma coruſca dedit.
Pergite ſic, nati: tu, Dux fortiſſime, ſalve,
Inter & heroas, inter & aſtra, vale.

Aliud.

FVlgidus auratis ductor ſic ibat in armis
Ranzovidum Janus ſtemmate natus eques:
Europam atq; Aſiam viridi luſtravit in ævo,
Regibus armorum dux tribus unus erat.
Hafnia bis capta eſt, commota eſt Dania bello,
Reddita ſunt Dominis ſceptraq; avita ſuis.
Viribus hinc luctans, tumefacti cornua Travæ
Fregit, & infectas ſanguine ſparſit aquas.
Cuncta paludoſis Dithmarſidos agmina foſſis
Stravit, & invictas ante dedere manus.
Æmulus Alcidæ, priſciq; Heroibus ævi,
Nunc comes Elyſiâ valle receptus adeſt.

De

De armis
JOAN. RANZOVII.

DVm certatur, uter fratrum sibi vendicet hæres,
Aurea Ranzovius quæ tulit arma pater:
Mars, Pallasq; aderant: prior hæc, post funus Achillis
Ex armis quondam lis gravis orta fuit.
Hæc neq; partiri fas est, non ensis ab hastâ,
Non galeâ thorax dissociandus erit:
Arma Thetis nato, nato Cytherea: sed hæc tu
Belligero juveni belliger arma dabas.
Amorum cedit tibi jus & plena potestas:
At mihi, quæ possim, munera ferre licet.
Ergo juncta simul, cui tu dabis, alter habebit:
Armandus dono Pallados alter erit.
Tum Mars arma humeris aptans fulgentia Paulo,
Dixit, in his pugna, factaq; vince patris.
Pectus at Henrici propriâ tegit ægide Pallas,
Ac, opus in magnis hac tibi, dixit, erit.

Epitaphium
DANIELIS RANZOVII.

HOC Daniel tegitur Mavortis gloria busto,
Ranzovidum antiquo stemmate natus eques:
Qui varios mores ut noscere posset & urbes,
Lustravit patrio dissita regna solo:
Et veteris Latij vestigia vidit; & arte
Palladis instructu nobile pectus erat. Di-

Divus & hunc proceres & belli Carolus inter
Ductores habuit, ductor & ipse fuit.
Claruit hinc factis illustribus edita virtus,
Nota per Ausonias Hesperiasq; plagas.
Dextraq; cum regi perspecta fidesq; fuissent,
Et nova cum Suecis bella gerenda forent;
Solus erat, rerum moles quem tanta vocabat,
Totius huic belli credita summa duci est.
Maxima cum savis iniit bis prælia Suecis
Bis victor, capti tresq; fuere duces.
Semper & affulsit proprio victoria fato,
Arduus invictâ quâ tulit arma manu.
Daniacæ vivens fuit hic tutela coronæ,
Magnanimo præstans pectore, mente sagax.
Quicquid consilio gestum est dextrâq; sub armis
Ranzovii dextrâ consilioq; stetit.
Ductorem hunc summum jam septima viderat æstas,
Et poterat meritæ laudis honore frui:
Warpurgam demum sed milite cinxerat arcem,
Cannaq; fulmineos misit utrinq; globos:
Hìc fortem impendit regi patriaq; cruorem,
Vitaq; sub duro Marte profusa fuit.
Hunc rex, hunc patria, ipsa salus hunc publica duxit,
Famaq; Ranzovidum tollit in orbe decus.
Æthere mens stellis certat fulgore coruscis,
Quam sola in Christum vexit ad astra fides.
Hìc Mars ad tumulum Heroïs Virtusq; parentant,
Et spargit lachrymas Dania mœsta suas.

Aliud.

Aliud.

HIC situs est Daniel Ranzoâ stirpe creatus
Quâ tulit illustres Cimbria Marte viros.
Aonias primum cupidè puer hauserat artes,
Diversis adiens extera regna plagis.
Maternam præter, tres linguas ore diserto
Calluit, ingenio vectus ad astra suo.
Sed mens alta virum Mavortis ad acta ferebat
Quando caput magni Carolus orbis erat.
Qui fuit excelsos animos miratus & usum
Armorum, belli constituitq; ducem.
Italiæ lustri spacium transegit in oris:
Clarior & dextrâ nemo fideq; fuit.
Hinc Peynæ redeuntem arci præfecit Adolphus,
Est ubi mox peditum lecta, equitumq; manus.
Arvaq; sublatis petijt Dithmarsica signis,
Quæ dominis ferro sunt repetita suis.
Dux sed ut occubuit mediis Schonueseus in armis,
Ranzovius tantas jussit obire vices.
Majus at ut bellum Suecis exarsit in oris,
Principio unius dux legionis erat.
Mox summum accepit ductorem exercitus omnis,
Ac meruit primum dextra fidesq; locum.
Rex fuit expertus septem Fredericus in annos
Pro se, pro patriæ bella salute geri.

Bijq

Bisq; acie justâ infensos pugnavit in hostes,
Bisq; manu quamvis impare victor erat.
Tresq; duces belli cepit, duxitq; triumphos,
Hostis & est latè depopulatus agros.
Id renuens David, cum rara sit inter amicos,
Quis stabilem (dixit) speret in hoste fidem?
Suecius interea Rex carcere clausus Ericus,
Et pacem Ianus frater opemq; petit.
Pax licet affulsit, subitò tamen arma resumunt,
Arx Warpurga simul milite cincta fuit.
Fortior hic victor stans edidit halitum in auras,
Spes sua qui regis, sed metus hostis erat,
Perpetuos famam virtus extendit in annos,
At sedes animæ regia celsa poli est.

In ejusdem immaturam mortem.

Vidit ut exanimem Danielem Dania, dixit,
Fortius hoc belli tempore nil habui.
Huic nisi tam properum ferret mors invida finem,
Optatus belli jam mihi finis erat.

Aliud de eodem.

Mors retulit Marti, Parcas mox velle severas
Rumpere ductori stamina Ranzovio:
Fataq; mutari non posse, exarserat irâ
Belliger, & volvens lumina torva, refert:

Non ea Parcarum fuerit nunc gloria morti
Tradere Ranzovium, præveniam ipse Deus.
Miscuit in verbo denso simul aëra fumo,
Flamma micat, reboant littora, terra tremit,
Acta simul volitans inopino perculit ictu
Ferrea glans frontem, præcipitatq; ducem.
Ranzovium straviſſe ducem, non gloria mortis;
Non ea Parcarum est: gloria Martis erat.

Aliud.

NUperut aſpexit Danielis funera Pallas,
Martiaq; ereptum caſtra dolere ducem;
Ingemuit, tremulâq; manu dea concutit haſtam;
Et trucis indignans Martis ad ora, refert:
Esse mihi poterunt quæ Mars commercia tecum?
Ecce tuo cecidit crimine noſter amor.
Quid tibi conſilij contemtâ Pallade reſtat?
Sunt equidèm ingenio bella gerenda meo.
Exitio tibi robur erit, mea cura ſaluti,
Ni ſapis, evertet teq; tuosq; furor.
Sic ait, & gelidis Pallas dedit oſcula malis,
Et ſuper effuſis buſta rigat lachrymis.

Aliud.

PElides Danaum decus eſt, & gloria genti
Hectore magnanimo Troja ſuperba fuit.

Mira-

Miratur Decios, miratur Roma Metellos;
Ranzovius patriæ est gloria summa suæ;
Consilio prudens, sermone disertus, & acer
Bellator, præstans linguâ, animo, atq; manu:
Fortis & insigni excellens virtute fideq;;
Ingenio clarus, clarus & eloquio:
Heu cadit ante diem, versat sic omnia fatum
Et sors, virtuti sors inimica bonæ:
Fortiter hic etenim in Suecum dum fulminat, altæ
Arx ubi Warpurgum tollit ad astra caput;
Suecum quem toties domuit; volat ecce repente
Ferreus hostili missus ab arce globus:
Nec mora, magnanimi sacrum ducis impetit ictus
Ah nimis infausto comminuitq; caput.
Hoc erat, occiduo quod visus in orbe diebus
Iisdem prædixit triste cometa tuens.
Nunc dolet amissum Rex, miles, plebs, procereſq;
Patria mœsta dolet, Dania mœsta dolet.
Sed mors nil nisi quod fuerat mortale resolvit
Corpus, virtutis fama perennis erit.

Aliud.

Digna duci statuat si Dania grata petenti,
Ranzovio Heroi qualia busta dabit?
Talia: Ne, quoties dubiam fuso hoste salutem
Attulerit Danis, nesciat ulla dies.

Nec, quod vita dedit decus insuperabile bello,
Funere mors pariter tam generosa tegat.

De obitu nobiliss. matronæ Annæ Ranzoviæ

Dn. IOHANNIS RANZOVII conjugis Ecloga, cujus interlocutores.

Menalcas, Mopsus, Eulalius.

Menalcas.

MOpsus adest, video, cultor fidissimus agri,
Qui mihi de puero, quantum nunc ipse recordor,
Pectore non unquam fucato semper adhæsit.
Illi constitui nostros exponere casus
Et mea quicquid habet taciti mens ægra doloris,
Nam mihi sæpe fuit curarum mite levamen.
Mollia sæpè dedit nostro solatia cordi.

Mopsus.

Vox aures tetigit puto non incognita nostras,
Flebilior tamen haud dubij præsagaq; luctus,
Et, nisi fallor, erit nostri vox ista Menalcæ.
Sed mihi quis tanto legit hàc vestigia motu?
Ut video procul aspectans est ipse Menalcas.
Sed tristem video, sunt ora simillima buxo,

Et ge-

Et gemit & mœstus digitis sua tempora scalpit.
Non temerè facit hoc, fortunæ signa noverca
Tales esse solent gestus, & pectoris ægri,
Congrediar, quæramq; novi quæ causa doloris.
Eja age pauliſper mihi tu subsiste Menalca.

Menalcas.

Tam mihi jucundus tuus est adventus amici
Quàm sopor esse solet fessis in gramine molli,
Quàm saliens solet esse viris sitientibus unda
Cum gravidos calamis exussit Sirius agros.
Posse meas spero curas sermone levari,
Ergo mihi coràm, quia tecum copia fandi
Contigit, exponam quæ sors inimica dolorem
Quo mea mens coquitur miserè, confecerit istum.

Mopsus.

Sic age nam per me dabitur medicina dolori
Non ingrata tuo, si sit medicabile vulnus.

Menalcas.

Haud ignota fuit nostri tibi Daphnidis uxor
Qui lati montis celebratam condidit arcem,
Hic ubi Stora fluit placidâ quem morte peremtum
Ante tot ut charum genitorem luximus annos.

Mopsus.

Tu matronarum nobis decus atq; coronam
O penitus toto suspirans corde Menalca,
Commemoras quæ nempè viro dignissima tanto
Nupta fuit pietate gravis, virtute decora.

Menalcas.

Scilicet, hinc luctu crucior magis optime Mopse
Cùm qualis fuerit gemebundâ mente recordor.
Nàm speculum purum spectandas tradere formas
Ut solet, & deceat qui cultus quemq; referre:
Sic quoq; virtutum nostri pia Daphnidis uxor
Matronis exempla dabat, cunctisq; coruscum
Lumen erat pietate, fide, probitate, pudore.
Et veluti variis æstivo tempore campus
Floribus ornatur: sic nostri Daphnidis uxor
Exornata piis virtutibus atq; polita,
Egregium de se quàm latè sparsit odorem.

Mopsus.

Hei mihi quòd soleat mors invida parcere nulli!
Occubuit nostri quantum nunc audio secli
Lumen, & hei nostrum Daphnin pia nupta secuta est
Hinc tibi sunt gemitus, lachrymæ, suspiria, luctus.

Menalc.

Sunt, equidem fateor, quis enim mala talia passus
Temperet à lachrymis? quis non suspiria ducat?
Occidit hei nostri clarum decus occidit ævi!
Indulgent lachrymis jam sylvæ, flumina, fontes,
Pascua, rura, feræ, pecudes & quidquid ubiq; est.
Nos quoq; nunc miseri qui ferro vertere glebas
Hic sumus edocti, quia nostri Daphnidis uxor
Concidit, hæc animo sentimus vulnera, quæ non
Totius Anticyræ proventus tollere possit.
Quis lachrymas ô Stora tuas numerare? quis autem

O vici-

O vicina tuos gemitus nunc Vellula posit?
Nam vobis, nostri perijt quia Daphnidis uxor,
Concidit omne decus nullis reparabile donis.
O quoties votis nil proficientibus illam
Storiades nymphæ revocârunt, talia frustrà
Clamantes, genitrix cur sic nos alma relinquis?
Anna mane, vel nos tecum quas ibis in oras
Transfer, & hinc vultu nunquàm te subtrahe nostro.
Sed precibus durum stat inexorabile fatum.

Mopſ.

Obe jàm satis est curis adsistite Menalca,
Quæ damus hæc iterùm solatia concipe mente:
Nullus homo casu moritur neq; nascitur ullus,
Rex verò superas qui fulmine concutit arces,
Et benè fructificat fata nostra boumq; labores,
Cùm placet huic, vitam nobis largitur & aufert.
Ille dies, horas, menses numeravit, & annos
Constituit certos, cum nondum matris ab alvo
Suscepti sumus & vitalem traximus auram.
Ergò quod occubuit nostri pia Daphnidis uxor,
Non temerè est factum, quia nec passerculus unus
Decidit in terram nisi sit divina voluntas;
Nec quia per mortem mortales exuit artus,
Propterea nobis penitus perijsse putanda est,
Sed melioris habet gratissima munera vitæ.

Menalc.

Te dolor & luctus video nunc conficit ingens
Talia dum profers, quæ jure profecta videntur

E Phœbi tripode, & quæ vixdùm cognita nobis,
Quin igitur mihi Mopse lubens oracula pandis?

Mops.

Sic faciam certè, quia non odiosa requiris.
Quid sit homo nôsti, constet quibus ipse Menalca
Partibus, & quævis pars quâ sit origine ducta.
Altera pars oculis nostris patet altera tecta est:
Hæc redit ad superos quia pendet origo supernè:
Illa datur terræ, quia nil nisi terrea massa est.
Si spectes corpus, nostri pia Daphnidis uxor
Mortua dicenda est, quia vivere desiit orbi;
Si spectes animam, vivit, nec mortua dici
Hæc ullâ ratione potest, vivetq; perennis
Mortua quæ gelidæ nunc pars est credita terræ,
Tota reviviscet, sed pura & criminis expers
Cùm tuba cœlestis feriet clangoribus orbem.
Cernis ut excusso mortalia lumina somno
Evigilant, quandò bigis aurora refulget:
Cernis & ut longis Cerealia semina sulcis
Obruta post mortem veteres meditantur aristas;
Haud minus è gremio nostri pia Daphnidis uxor
Telluris, venient cùm tempora justa, resurget,
Et capiet veræ cœlestia gaudia vitæ.

Menalc.

Ergò dies mortis natali dignior hora est?
Ergò mori lucrum? responsum Mopse requiro.

Mops.

Aspice mortalis quot sunt incommoda vitæ

Quot.

Quotq; malis hominum natura sit obruta, partus
Objcit his omnes, sed mortis liberat hora.
Sponte ruinosas quis non citò deserit ædes,
Cùm senio genuit. aut Vulcani sternitur armis?
Quis non in portu securam degere vitam
Exoptat, quandò Neptunus & Æolus arma
Expediunt & vi miscentes omnia summâ
Acriter in vasto pelago confundere tentant?
En gemit, & laxâ mundus compage labascit,
Inq; senescenti Sathanas furit undiq; mundo,
Omnia miscens, omnia turbans, omnia perdens.

Menal.

Vera mihi narras, luctusq; remissior esse
Incipit, atq; utinam fieret mihi copia tecum,
De quibus incepta est oratio plura loquendi!
Nunc domus est rursum nobis visenda, quis autem
Huc cursu properans socius se tertius infert?

Mopſ.

Eulalius noster nisi me mea lumina fallunt,
Approperat cursu, quid si nunc nomina rebus
Conveniant, lætusq; ferat bona nuncia nobis?

Eulal.

Haud frustrà nuper quia nostri Daphnidis uxor
Concidit, alterno luctum sermone levatis.
Si quid adhuc verò vestris in cordibus hæret
Tristitiæ, jubeo vos me spectare loquentem
Et præbere meis avidas sermonibus aures.
Nam vestros animos dulci novitate tenebo.

Mopſ.

Eloquitor quodcunq; voles, tibi noſtra patebunt
Corda aures q; simul, quia ſum novitatis amantes.

Menalc.

In ſylvâ nuper ſolus ſpatiabar & eger
Vicinâ deſiens hæc infortunia noſtra
Quod terras liquit noſtri pia Daphnidis uxor:
Et quanquam luctus ſomno contrarius ater
Eſſe ſolet, cogitq; inſomnes ducere noctes,
Clarâ luce tamen mea lumina ſomnus inibat,
Et foliis quercus & gramine terra carebat,
Nec volucres ſuavi mulcebant aëra cantu,
Serpebat per membra ſopor, mox ecce tubarum
Clangor & angelici feriebant æthera cantus.
Evigilo attonitus, cùm vultus tollo jacentes
Ecce ſtat ante meum noſtri pia Daphnidis uxor
Conſpectum, velut Heſperijs cùm Phœbus ab undis
Exit, & immenſum perſtringit lumine mundum.
Quin etiam talem membris exſpirat odorem
Qui Paradiſiacas facilè exſuperaverit herbas.
Nec mora, ſydereâ currus mittuntur ab arce
Luce coruſcantes clarâ, quibus omnibus auro
Axis erat, nec non temo aureus, aurea ſumma
Curvatura rotæ, radicum argenteus ordo.
Hos ego ſpiritibus caſtis contemplor onuſtos.
Quorũ pars citharâ tractant, pars tympana pulſant,
Pars lætum Pæana canunt, non omnibus unus
Eſt labor, at variis teſtantur gaudia ſignis.
Deſcendunt curru, tum verò conſpicor unum

Vir-

Vincentem claro stellas & Iaspida vultu,
Supremi natum quem dixeris esse tonantis:
Hic veluti summus reliquis Rex talia mandat:
Tollite vobiscum coràm quam stare videtis,
(Daphnidis uxorem monstrans) quia sedula cultrix
Religionis erat, vidi ejus plurima facta,
Facta secuta fidem, cœtuq; recepta beato est.
Dixerat, expediunt Regis mandata ministri
Impositamq; rotis, secum per inania cœli
Ad loca perducunt, ubi verè vivitur, atq;
Nulla voluptatem luctu contaminat hora.

Mopſ.

Suspensis igitur lachrymis, positoq; dolore
Nos decet ad solitos intendere membra labores.

Menalc.

Sic faciam certè, procul hinc dolor omnis abesto.
Vivit enim nostri vivit pia Daphnidis uxor,
Sub pedibusq; tenet nubes & sydera cœli
Conspectuq; DEI per secula cuncta fruetur.

Epitaphium.

ANna sub hoc tumulo placidè Walstorpia dormit,
Ultima quæ fuerat stemmatis Anna sui:
Floruit Holsatas quod secula multa per oras
Et dedit insignes Marte togâq; viros.
Hæc equiti aurato thalami sociata jugalis
Vixit Iohanni fœdere Ranzovio.

Hic

Hic decus uxoris fuit, illa corona mariti,
Vna duobus erat mens, amor atq; fides.
Hinc studium concors, ubertas florida rerum
Ambos in casto est concomitata toro.
Octo sua novies vita confecerat annos,
Quando piè in Christo morte soluta fuit.
Florentes vidit natos, charosq; nepotes,
Et dulces neptes, spem columenq; domus.
Vidit & hinc animo lætante nepotibus ortos,
Qui numero fuerant octo, quaterq; decem.
Filius hîc mœrens chari juxta ossa parentis
Henricus matris condidit ossa suæ.
Mox erit alma dies, tumulis rediviva reclusis
Quâ subeant cœli corpora nostra domos.

Querela Daniæ, de amisso fortissimo & nobilissimo Heroe,

DANIELE RANZOVIO,

totius Regii exercitus ductore primario.

HEu nihil humanum stabile est, fors cæca vagatur,
Actaq; præcipiti turbine cuncta rotat.
Omnia ceu filo tenui pendentq; tremuntq;,
Et varias adfert qualibet hora vices.
Quid querar? invisi dum Martis ad arma revertens
Spectо rebellantis vimq; dolumq; plagæ:

Nil

Nil tam triste tuli toto hoc discrimine belli
Funera Ranzovii quàm properata ducis.
Arx mihi, de spetlâ cui nomen, ad æquoris undas
Adjacet, at facies altera spectat agros:
Machina cum lectis huc ducitur ænea signis
Aggere quà latuit cinctus & hostis aquâ.
Singula dum lustrat ductor, tormentaq; muris
Applicat, (heu vitæ prodigus ipse suæ!)
Attulit hic fatum celeres glans acta per auras,
Præbuit at victas hostica turba manus.
Hic vir erat, cujus fidei me debeo totam,
Summaq; cui nostri credita Martis erat:
Quicquid enim fueram fortunæ experta benignæ,
Illius in dextram numina prona dabant.
Huic allapsa fuit niveis Victoria pennis,
Semper & in galeâ visa sedere viri est:
Magnanimo pugnans toties qui pectore misit
Milite non multo millia multa neci.
Irruit intrepidus, rapidum ceu fulmen, in hostes;
Indomitâ sternens obvia quæq; manu:
Scipiades Italo velut agmina milite fundens
Pœnorum domuit corda superba ducum.
Solus in armatas non horruit ire phalanges,
Compulit & subitæ vertere terga fugæ:
Vt stetit in rutilis, cùm Scanderbegius armis,
Erupitq; oculis flamma, labrisq; cruor,
Sæpius ad solum conterrita Suecia nomen
Palluit, & manes jam stupefacta tremit:

Nam

Nam nisi victor humo deceßit, & ardua victrix
Mens quoq; fortunæ jam ſuper aſtra volat.
Suntq; Ducis ſeptem totos mihi nota per annos
Virtus, conſilium, pectora, dextra, fides.
Non melius contra Trojam pugnabat Achilles,
Et non pro Troja fortior Hector erat.
Nec belli ulterius fama eſt diſperſa per orbem
Inclyta, quàm tanti gloria ſpeſq; ducis.
Quem ſi nuper ego potuiſſem audire monentem,
Æquora cùm duro frigore ſtrinxit hyems!
Sed te nunc gemitu fruſtrà votisq; requiro;
Te decorant lachrymis Martia caſtra ſuis.
Cærula te plorat ſub fluctibus Amphitrite:
Ingemit & tinctis Hafnia celſa genis;
Rex etjam amiſſum: ſed deſino, nec mihi queſtus
Sarcire hæc poterunt damna, ſed ipſe Deus.

Reſponſio Cimbriæ.

NON equidem ſuperos aulæ cœleſtis honores
Invideo juveni, qui fortunata frequentat
Conſilia Heroum, terris quos extulit altè,
Et cœlo æquavit virtus, ubi cernere coràm
Tot datur illuſtres animas, vultumq; tueri
Ranzovij patris antiquos, & luce potiri
Communi, celeresq; poſt mirarier orbes.
At terris queror ereptum florentibus annis,
Et tot dona ſimul præcepta: nec acrius ullum

Vitæ

Virtutis stimulabat amor, vis ignea menti,
Egregiusq; decor membris, & plurimus amplæ
Frontis honos, tremuloq; oculi fulgore micantes,
Vocq; infracta sono, vestigia stirpis avitæ:
Qui priscum Herminium sumptis præstaret in armis.
Hunc dudum agnovi generosum, Cimbria, partum,
Ausoniæ metuenda olim, domitrixq; Quiritum.
Hunc sibi gens Christi in Turcæ Moscique furorem
Posceret, & magnò adflictis optaverit emptum.
Iamq; adeo concussa dolet Germania luctu,
Amissumq; gemit laceros diffusa capillos,
Qualis conveniens juxta Tyberina fluenta,
Marcelli ad tumulum doluit Mavortia Roma.
Æternum ergo heros salve fortissime, salve
Ranzovÿ clarum generis decus: optima dicent
Facta tua extremo posita sub cardine gentes,
Germanamq; fidem extollent, hausteq; labores:
Quantum ò præsidium, quantâ & spem Dania perdis!
Hoc salvo, regnis equidem nil triste timeres,
Et quamvis cumulet strages, & cuncta cruentes
Haud impunè heros, nunc cum consorte laborum
Francisco, dederat quem stirps Brochusia, terras
Discordes obitu liquistis, & altera regna
Unanimes colitis, quos sancto fœdere junxit
Una fides, atq; unus amor, mors sustulit una:
Illinc despicitis viles ex æthere curas,
Et tumidos fastus, inceptaq; callida mentis:
At potius, multos quæ vicerit una triumphos,

Opta-

Optatis pacem: date pacem optantibus alba
Lilia, Narcissumq́, immortalesq́ Amaranthos,
Et charo cineri extremum persolvite munus,
Ad Boream cui Mars struxit pater ipse sepulchrum:
Vita hæc est flori similis, qui nascitur horto,
Manè levans pulchrum caput at mox vespere ponens,
Momentoq́ hominum res omnis vertitur uno:
Æternùm at superat virtus magni æmula Solis
Lustrantis cœlum radiis, terrasq́ calentes,
Et fruitur famæ nunquam morientis honore.
At tibi ductores fidos, victriciaq́ arma
Sufficiat, solo qui temperat omnia nutu.

Aliud.

SVecorum jacet hic domitor, terrorq́ pavorq́,
Spes Charitum, generis gloria, Martis honos,
Ingenium, pietas, gravitas, facundia, candor,
Cuncta sub hoc uno marmore clausa jacent.

Epitaphium
THEODORI RANZOVII.

QVi patris in claras potuisti crescere laudes,
Et meritum fratres inter habere decus:
Te DEVS è mundi rapuit Theodore tumultu,
Dum tener & vitâ simplice purus eras.

No

Ne mala, ne fraudes, fastum luxumq; videres;
Sæpè quibus magni deperière viri.
Non tu tristitiam, non ullas pectore curas
Sensisti, cœli dum petis astra puer.
Alta sed æternam tibi sufficit aula quietem:
Tu neq;, si posses, huc remeare velis.

Epitaphium.

PAULI RANZOVII.

PAulus in hoc tumulo juxta patris ossa quiescit
Ranzovius, priscæ nobilitatis eques.
Qui clarum egregiâ referens virtute parentem
Pacis erat præstans militiaq; decus.
Inclyta Landgravij mox excipit aula Philippi,
Vestiit ut nondùm prima juventa genas.
Principis hic tanti primo miratus ab ævo est
Et didicit pariter fortia facta sequi.
Et placuit quondàm quà Prussia respicit Arctos
Alberto juvenis mens generosa duci.
Hunc sibi militiæ comitem dux legit Adolphus
Qui gerit Holsati sceptra paterna soli:
Carolus ad Metis cùm traxit mœnia Cæsar
Excita Germanis agmina fida plagis.
Post quoq; Dithmarsas patrem comitatus in oras,
Aspera cum forti prælia gente movet.
Martia tunc virtus, animiq; industria regi
Cognita Fridrico principibusq; fuit.

Hunc Gotha Tyrigetum flavis conspexit in armis,
Cùm ducis Augusti signa secutus erat.
Ruraq; fulgentes duxit per Belgica turmas,
Hispano ad belli rege vocante vices.
Præfuit hic magnis tranquillæ tempore pacis
Arcibus, & peperit Marte togâq; decus.
Pinguis arenosum quà suscipit Eidera Threnam,
Arxq; vetus Suevi nomine clara jacet:
Et quà Chilonium pulchras ad nubila turres,
Balthica prospectans æquora, tollit humo:
Et quà Trittovium sylvas jacet inter opacas,
Billena & vitreis errat amœnus aquis.
Principis auspicijs populos hic rexit Adolphi,
Nobile præfecti gessit & acer onus.
Omnia justitiæ pensabat lancibus æquis,
Consilijsq; pijs optimus autor erat.
Mens heroa fuit Friderico grata secundo,
Et rex Ranzovicam prædicat ore fidem.
Lustra sui Paulus bis quinq; peregerat ævi,
Ut pius extremum clausit in orbe diem.
Unica languenti morbo fuit anchora Christus:
Vecta polo firmâ est mens super astra fide.
Magnum stemma decus, majus parit inclyta virtus,
Summum sed pietas cui benè juncta fides.

Aliud.

Qui se genusq; splendidum virtutibus
Ornavit: auxit familiam

Prole

Prole numerosâ & optimâ: peperit benè
Faciendo amicos: patriam
Meritis suis cumulavit: aulam plurimis
Devinxit officiis sibi:
Famâq; latè implevit Arctous plagas:
Industriâ reges sibi,
Fideq; conciliavit inclytos duces:
Hac Paulus est Ranzovius
Compositus urnâ, sic beatus qui fuit
Iunctus Beatæ conjugi
Fidæ, pudicæ, nobili, Sestediæ,
Nunc in polo beatior,
Inter beatos cœlites vivit, DEO
Receptus hanc in gratiam
Ob filij meritum unici, cui pectoris
Adhæsit ardenti fide.
Sic nunc beatus Paulus est Ranzovius,
Est summa quæ beatitas.

Epitaphium.

NOBILISS. VIRGINIS Mettæ, PAULI RANZOVII. Filiæ.

EDita Ranzovidum celebri de stemmate virgo
Cum patre sub gelido marmore Metta jacet,
Dum parat exsequias conjunx mœstissima Paulo,
Mox etiam celeri filia morte cadit:

Filia virginei flos & nova gloria cœtus,
Cui roseus sedem fixerat ore Pudor.
Cui Pallas mentem, Iuno dedit inclyta mores,
Contulit & formæ munera pulchra Venus.
Spes hæc matris erat: duplicat mors morte dolorem
Dum turbat gemino funere Parca domum.
Amborum exuvias dulces, natæ atq; mariti,
Huic dat cum lachrymis mater & uxor humo.
Certa tamen cœlo vitam præstare perennem,
Optat utrumq; polo mœsta Beata sequi.
Una dies tumulo pariter natamq; patremq;
Intulit, è tumulo reddet & una dies.

In obitum ejusdem.

VER erat, ætatis cum vere secuta parentem
Sub durâ posuit frigida mole pedem,
Metta puellarum decorans ut stella cohortem,
Et comites ibant Forma Pudorq; simul:
Cùm per odoriferos sub vere incederet hortos,
Carperet & violas purpureasq; rosas.
Ver erit, æterno cùm vere secuta parentem
Sydereâ felix ponet in arce pedem.
Claraq; fulgebit cœtu ceu stella beato
Virgineos inter Metta recepta choros.
Conspicietq; DEUM, dabiturq; corona capillis,
Nobilior violis purpureisq; rosis.

Epi-

Epitaphium.

CAII RANZOVII.

TU Pauli quoq; patris eras charißima proles
Ranzovij antiquo ſtemmate nate puer:
Quem genitor magno dilexit amore; nequivit
Natus ferre diu funera mœſta patris.
Saxonicâ Auguſti vivit dum principis aulâ,
Charus erat domino moribus atq; fide.
Illic viva datum eſt virtutum exempla tueri,
Et quæ vix poterat facta probanda ſequi.
Ut cadit aprico moriens Hyacinthus in agro,
Ante diem Cajus ſic quoq; morte cadit.
Quem ſibi jam Virtus ſuſceperat ipſa fovendum,
Qui fulſit generis flos q; decusq; ſui.
Principis hic magni tulit atro in funere luctum,
Qui juſſit tumulo molliter oſſa tegi:
Inclyta quà celſis decoratam turribus arcem
Albidos à flavis Dresda ſalutat aquis.
Hunc dolet ereptum properanti funere Pallas,
Cujus in hoc puero ſpes erat ampla Dea.
Barbara non illi ſub corde ferocia crevit;
Artibus ingenium mite, piumq; fuit.
Colluvie procul hic, procul & contage malorum,
Innocuus terris, dum fuit, usq; fuit.
Spiritus athereâ gaudet nunc liber in aulâ,
Tam citò quòd plenam labe reliquit humum.

DE AULA.

AUla quid est? splendor mundi: fastigia vitæ:
Res videt Aula graves Martetogâq; geri.
Aula quid est? labes mundi: fastidia vitæ:
Sæpè malas etjam res vidit Aula geri.
Curarum pelagus, vaga spes: via plena pericli:
Splendida damna: quies irrequieta: dolor.
Sæpius utilius nihil est & clarius Aulâ:
Utilis & clara est Aula: sed ignis edax.
Si quis abest nimium; non percipit indè calorem,
Si quis adest propiùs, læditur igne statim.
Nec propè, nec procul hinc sit, qui vult carpere fructū,
Tutior omninò est, si quis abesse potest.

IN REGIAM ARCEM Cronenburgam.

FAma est, Iustinum struxisse in rupibus arcem,
R arâ qui fuerat Cæsar virtute, secundus,
I llud habens nomen, Sophiæ quæ conjugis arx est
D icta novo titulo Byzantl in littoris orâ.
E x hac Europam, atq; Asiam, telluris & æquor
R auciſonum mediæ spectabat lumine Cæsar,
I nvectas pelago puppes, terrasq; repostas.
C ondidit hanc arcem regni Fridericus in orâ,
V irtute hic nulli Rex & pietate secundus:
S edem hanc & carę Sophiæ vult conjugis, inde

Rex

R ex amat hanc arcem, Regni & per secla, Coronã
E sse dedit nomen; sed virtus inclyta Regis
X erxis splendorem, Crœsi quoq; vicerit aurum,
D espicit hac velut ex speculâ Rex altus utrumq;,
A rctoum, Occiduumq; fretũ: hinc & Scania longè,
N ec non fertilibus Selandia cernitur arvis,
I us Regis cogit puppes hic sistere cursum,
Æ ra dare: inde ratis felici naviget aurâ.

Bredenberga arx
Dn. HENRICI RANZOVII,
Dn. IOHANNIS FILII.

IAnus post varij victricia prælia Martis
Ranzovius patriæ redditus atq; sibi:
Excelsam patriis exstruxit collibus arcem
Non procul à ripis cœrule Stora tuis.
Bredenberga vetus tenet arx firmissima nomen,
Quà sua mellificæ regna tuentur apes:
Apta licet Martis sedes, tamen aptior almæ
Palladis: hoc splendent arma utriusq; loco.
Hic arcis dominus Martem colit atq; Minervam
Magnanimo Henricus pectore Ranzovius.
Tuta, favente Deo, maneat, dum Vellula lætas
Sylva ferat frondes, Storaq; volvet aquas.

Aliud.

ARX ego sum vallo & fossâ munita profundâ:
Nomen de lato monte vocata gero.
Sex & ter centum sol lustra peregerat ingens
Ex quo natus homo Christus in orbe fuit;
Cum patruele suo Fridericus bella gerebat,
Illo qui profugo Danica sceptra tulit;
Hoc tunc me statuit Iohannes limite terræ
Ranzovio natus sanguine clarus eques,
In Domini stirpisq; struens & prolis honorem
Condidit, hæc illi maxima cura fuit.
Reddidit ille animam superis: ego duro superstes
Et mecum illius nomen, honosq; simul:
Sic immota loco seros hoc spector in annos:
Et tanti esse viri nobile testor opus.

Aliud.

CUM sterili tumulus starem infœcundus arenâ,
Nilq; meus sentes præter haberet ager:
Me Satyri tenuêre rudes, Fauniq; bicornes,
Et quæ vipereo sanguine monstra scatent.
Quos ubi Iohannes submovit nobilis heros
Ranzovius, cœpi cultior esse locus.
Ille valens animo & victricibus inclytus armis,
Essem munitæ, fecit, ut arcis opus.

Quam

Quam modò Pierides complexus mente venustâ
Filius Henricus perpolit arte suâ.
Sic mihi pro Faunis Mavors atq; innuba Pallas
Mœnia tutantur: cætera habent Charites.
At te, Christe, precor, qui nutu cuncta gubernas,
Vt tutelaris Iuppiter esse velis:
Ranzoviumq; mihi & natos carosq; nepotes
Cum longâ salvos posteritate dare.

De Storâ fluvio Arcem Bredenbergensem præterlabente.

ORtus ab Holsatis qui Stora paludibus exit,
Stormariam prisco nomine signat humum.
Ranzovicam refluens certâ vice præterit arcem,
Veliferas alto portat & amne rates:
Hic latus Holsatæ stringit regionis, ad Austrum
Fœcundosq; suo flumine reddit agros:
Pisce scatet, mercesq; vehit, ditatq; colonos;
Mixtus & Albiacis in mare fertur aquis.

In Pyramidem.

PYramis æthereas velut est edusta sub auras
Quà jacuit plano Græcia clara solo:
Ut moneat nobis quærendas æthere sedes,
Virtuti & propriæ esse sub astra vias:

Sic patulis Henrice tibi est quoq; Pyramis arvis,
Condita quæ cœli fert caput alta plagâ:
Ut moneat cœlum patriam post fata petendam
Quâ virtus precium dulce laboris habet.
Pectora quadratum signat constantia saxum
Quam levis accursu non movet aura suo.

Psalm. 39.

FElix deliciis floruerat malus,
Regis atq; DEI dogmata negligens,
Nec luctus tamen hunc nec dolor usserat,
Voto prosper erat suo.
Hunc viditq; oculus nutibus invidis,
Et miris animus condoluit modis:
Sed verti rapidis motibus improbum,
Tantò rectiùs instruens.
Ponebam labijs arcta repagula;
Linguam continui legibus & suis;
Indignis temerè ne rueret sonis;
Vallum dentibus obdidi.
Neu quidquam lepidum, nec quid amabile
Spectanti tacito pectore prodijt;
Commoti gravior sed dolor insidens
Rosit pectoris intima.
Mox arsit calidâ bile tumens jecur,
Et tandem vehemens non tulit impetum
Rupit lingua, foràs quod placitum ferens
Et leges dolor abstulit.

Sed

Sed tu, qui Deus es, cœlicus arbiter,
Et motus fatui pectoris inspicis,
Tu vitæ spatium suggere perbreve
Et secli celerem fugam.
Nam quod vivo, tibi temporis est apex;
Anni, quos numero, sunt nihilum tibi.
Eheu quam nihil est omnis homuncio,
Tam securè abiens tamen!
Ad cursum peditis se movet ut sui
Paulò post repetens umbra suum nihil;
Sic quorsum revocant chara negotia
Vanum tendit opus miser.
Exponens animam mille doloribus;
Corpusq; objiciens mille periculis,
Conquirit validas, immemor heu, opes.
Mox spem mors facit irritam.
Hunc hæres sequitur degener in bona,
Fretus non tenui qui patrimonio
Vires nequitiæ sustinent hinc suæ,
Oblitus citò mortui.
Tu mentis penitus conscie territæ,
Tu rerum sapiens rector, in his malis
Quæ solatia me tristibus erigent,
Te solum nisi cogitem?
Commissis veniam da precor omnibus,
Neu me ludibrio hostibus exhibe:
Quin linguam reprimam, labraq; comprimam,
Tu scis & facies probè.

Sit

Sit pœnæ modus, & flagra coërcita;
Sub duris mihi cor palpitat ossibus;
Vires deficiunt atq; animæ vigor;
Terret judicium tuum.

Tu nostra hic quoties crimina corrigis,
Castigans meritis corpora vinculis.
Vanescit nitidæ forma juventulæ
Vt vestem tineæ terunt.

Formosis color est pallidus in genis,
Marcet purpureis luminibus nitor:
Flaccescitq; cutis pulchra & obesula
Ah ah, quam nihil est homo!

Exaudi querulas, ô bone rex, preces,
Neu aures lachrymis claude tuas meis,
Namq; & proselyta, & civis ego tuus
Majores velut & mei.

Ægrum lethifero desine verbere,
Et lentum recrea tu mihi spiritum;
Ne, dum præsidium longius abstrahis,
Mortis sub tenebras eam.

Ex Bacchilide
Referente Plutarcho.

CVi viget erecto dominans in pectore virtus
Huic comes egregiæ gloria laudis adest.
Si quis at ignavâ detrectat mente laborem,
Nil hic virtutis, nil quoq; laudis habet.

EX

Ex Pindaro.

NOn satis est, opibus si quem fortuna beavit,
Quæ beat & stultos sæpè fovetq; viros,
At cui diva suas dederit sapientia dotes,
Hic propriâ demùm sorte beatus erit.

Psalmus 104.

Lauda anima mea Dominum, Heroico carmine redditus.

EVigila mea mens, lento depressa veterno,
Evigila, gaudeq; novas effundere laudes,
Huic qui stelliferum nutu quatit unus Olympum.
Evigila, nec segnitiæ sic cede nefandæ.
Sis calcar, pigras animosè agitando medullas:
Viscerag; sanguisq;, vigor vel quicquid eundo
Vitalis penetrat, Domini laudabile nomen
Efferat ad cœlum residet quo nominis autor.
O mea mens, ô ingratos qui spiritus artus
Perfluis, æthereo surge in nova carmina regi,
Surge, nec ulla dies memori patere eximat ævo,
Quæ tibi præstitit haud unquam benefacta merenti.
Qui seu patrârit hebetans infantia recto,
Seu magis ad facinus tetrum procliva juventus,
Errores abolet, commissaq; fœda remittit,

Fœda-

Fœdataq; luis deformia vulnera purgat.
Qui triſtem interitum prohibet turbare ſub umbras
Imbellis vitæ ſpiramen, & arcet acerba.
Qui tibi magnorum imponit diadema bonorum
Propitius DEUS & miſereri ſuetus egeni.
Qui tibi mœroris demit mordacia vincla.
Exhilarat linguamq; tuam, lachrymasq; fluentes
Siſtit, & in fibris cœleſtia gaudia ſtillat.
Hinc recreatur ovans curis exeſa medulla,
Et redit in veteres annos ſeclumq; peractum,
Annoſa ut nunquam volucrum regina ſeneſcit,
Sed miſcet ſenium juvenili dulciter ævo.
Ipſe ſuo reſidet ſolio cœli autor & orbis
Egregius judex; juſtum patiturq; tribunal
Nulla judicij maculâ turpetur iniqui.
Ille ſuos livore malo precíve nitore
Iudice corrupto juſtos dijudicat, ille
Æquis juſtitiam tribuit ringente maligno,
Lora tenente quidem, ſed qui non prævalet uti
Diro ex arbitrio, fremit improbus ore cruento.
Nempe vias, dextramq; ſuam, præclaraq; facta
Mirifico oſtendit Moſi, generiq; rebelli
Iſacidum, quamvis expertia murmura cauſæ.
At DEUS, in juſtas qui non ſurrexerat iras,
Eſt placidus, tardè calidoq; incenditur igni,
Longanimis pater, ac ultis perplura minatus.
Nam nec perpetuo mitis flagraverit æſtu,
Nec ſemper nocuam miſeris nutriverit iram:

Haud

Haud ille æquali compensat pessima lance,
Et quanquam scelerum nos velo involvier amplo
Cernit inexpertes pœnarum perditè, & ire
Ex scelere in scelus, & nunquam peccare nequire:
Attamen haud rigidâ nos stringit lege, paternè
Flectens, & veniam suetus largirier ægris.
Nam quantum terrâ distant convexa polorum:
Tanta DEI bonitas & clemens gratia cingit,
Qui divina pijs animis mandata capessunt.
Et quantum distat maturo vesper Eoo,
Quà sol mane micat vel quà se condit in undas,
In tantum distare jubet peccata misellis,
Oceano abscondens quicquid patravit homullus.
Ipse adeò lenis, celerem non pronus ad iram,
Crimina damnare, ac hominem servare gravatum
Gaudet, ut & cœli quondam sit nobilis hæres.
Non secus ac genitor teneri miseretur alumni,
Iratus nuper pœnas animoq; volutans,
Quas vetuit sed fortis amor, complectitur ultrò
Oblitus plagarum, ac flentia lumina tergit:
Sic miseretur amans natorum, & vincula nexa
Disrumpit, fovet ultrò: tantum indulget amori.
Non etenim massæ pater est ignarus inertis
Quæ limus rudis est, fluviali vilior algâ:
Pulveris esse tenet numerum, quem dissicit aura.
Ut fragile in læto gramen producitur agro,
Sic homo, sic fragilis vitali vescitur aurâ.
Sortem floris habet miserendus homuncio, lato

Enas-

Enascens campo, quem circum murmure multo
Assultu crebro fremitant pluviæ atq; procellæ.
Vt primùm vehementi mugitu intremit Auster
Exurens agrosq; herbasq; & picta vireta,
Arrodit teneras vires, & colla tenella
Frangit, at hic oneri cedens tristi langueſcit,
Aridus aut hæsit terrâ, aut raptatur ad astra,
Nec loca sueta tenet, nec dulcem novit agellum.
At semper sacrata DEI clementia durat
Sanctorum seris comitata nepotibus olim
Qui Dominum timuêre poli, timuêreq; jussa,
Quadrifidum donec mundum ultima flamma resolvet.
Perpetuâ solium DEVS ipse in luce locavit,
Quà mare, quà terras, quà spectat desuper astra,
Atq; suum justis regnum moderatur habenis,
Regnum, cui nec finis erit, nec terminus ullus.
Vos ô ætherei heroès, sanctiq; ministri,
Qui tanti Regis mandata facessitis, eja
Vos laudate ducem cœlestem, intendite voces
Illius ut toto notescat in orbe voluntas.
Et vos qui colitis resonantem exercitus aulam
Æterni sanctâ versantes usq; catervâ
Fundite divinas laudes, consurgite contrâ
Sacratisq; choris Regem cantate vicissim,
Magne orbis, cœlumq;, & rerum quicquid ubiq; est,
Ferte novas laudes, mea mens in laude morare.

Ma-

Magnifico

AMPLISSIMO ET CLARISSIMO VIRO Dn. EBERHARDO TWESTRENGIO

I. U. L. & Consuli Hamburg. prudentissimo, Dn. Patrono suo perpetuò colendo.

S.

CUm singula in hunc Henningi Cunradini Poëmatum librum cogenda perlustrarem, Magnifice & Amplis. D. Patrone, obtulêre se numeri Poëtæ, quibus T. Mæ. nuptialibus honoribus gratulatus fuit. illos dùm penitius intueor, deprehendo vertentem sese ad congratulantes & eorum industriam in conditis versibus prædicantem: quæ res ansam mihi præbuit, elapsarum dierum gaudia sub animum revocare, & vota illa metrica Tuæ Mæ. felici connubio dicata accuratius pervolvere. Progredienti autem in lectione mirum in modum illa plæraq; sunt adblandita, sic ut libellum hunc festiviss-

mum Tuæ Mæ. nomine & politis auribus non indignum judicaverim. Cumq, adeò fortuitus & eveniens casus ità rem disposuisset ut pagellarum aliquot seorsim esset habenda ratio: recalescens prius illud desiderium, pronum aliàs me rapuit ut eundem huic editioni subjicetem, tùm quidèm, quià non in totum heterogeneus videbatur: tùm quia præstantissimorum virorum eruditæ compositiones, tàm æquo lectori quàm solerti adolescentiæ gratissimas fore arbitratus fui. Hunc igitur libellum, qui Tuæ Mæ. velut adoptivus ex insperato nascitur, ut Tua Ma. comi vultu & serenis oculis benevolè accipiat, & factum hoc meum in partem meliorem interpretando, meum Tuæ Mæ. deditum animum ex eo colligat officiosè & quàm possum diligentissimè rogo. Vale feliciter Magnifice Dn. Consul. patrone summe. Rostoch. prid. Id. April. An. 1607.

Tuam Mm.
perpetuò colens,

Theod. Glazerus.

EPI-

EPITHALAMIA,

Clarissimo viro, virtute & eruditione praestanti,

Dn.

EBERHARDO TWESTRENGIO, I. V. LICENTIATO, & Reipub. Hamburgensis SECRETARIO,

& lectissimae virgini

GERTRVDI, IOHANNIS MOLLERI viri integerrimi FILIAE,

ἄδηλον

AD PHILOCALON.

VIs solenne thori undè Ocelle cunô,
Frontis prospicias videre festum,
Et quicquid facula illa congregabit:
Dic quare radiis tuis tenellis
Semper pulchra petas? at invenusta
Ceu sordentia nauseans repellas?

(Si verum cecinit novena Cadmo
Turba) id quàm Sophiæ vetus magister
Dicas certiùs, omnis aut potestas
Festum exempta tibi hoc erit videndi.

Dn. IOHANNIS NIEBUR Cos. Hamb.

CLara dies oritur, multos optata per annos,
Quâ duo legitimus corpora jungit amor.
Namq; Eberharde tibi ducetur pulchra puella,
Ibit in amplexus sponsa decora tuos.
Egregiam sponsæ formam Venus attulit alma,
Et dedit ingentes virginitatis opes.
Candida nam misto sublucent ora rubore,
Lumina syderibus candidiora nitent.
Ingenii dotes sponsæ dedit inclyta Pallas,
Fœmineas artes quæ dedit ipsa DEA est.
Conjugibus medicina data est, oneriq; levamen,
Conjugibusq; piis corpora jungit Hymen.
Illa tibi flammas poterit compescere amoris,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.
Illa graves tacito depellet pectore curas,
Connubij curas sustinuisse velit.
Obtulit eximium sors non adversa maritum,
Gerdrudis veræ virginitatis honos.
Splendida quid dubitas attingere munera sponsi?
Munera quid dubitas sustinuisse Dei?

Ille

Ille per ingenuas latè caput extulit artes,
Famq; dedit fructus artis & ingenij.
Hic etiam claras urbes conspexit & arces,
Et Latium longâ cognitione tenet.
Oppida clara oculis, atq; inclyta mœnia vidit,
Tum quoq; vidit opes Itala terra tuas.
Itala terra tenet naturæ ingentia dona,
Itala terra tenet quidquid in orbe viget.
Galle tuas urbes, tua regna potentia vidit,
Et bellatricis regia sceptra manus.
Quid referam partes Europæ? vidit in orbe
Ingenium, mores, imperiúq; vices.
Nunc tibi commissa est sancti pars una Senatus,
Vt patriæ solvas debita jura tuæ.
Quod tibi commissum munus virtute tueris,
Et patriæ præstas munera grata tuæ.
Gratulor ergo tibi connubia fausta marito,
Gratulor & sponsæ prosperitatis opus.
Vivite Nestoreos ambo concorditer annos,
Vivite concordes, corpora jungat amor!
Vivite concordes, teneram producite prolem,
Fœdus ob hoc sanxit conjugiale Deus.
Nunc Deus est præsens, sobolem qui dirigat ipsam,
Vivite devoto nuptaq; virq; toro.
Conjugium pietas, conjunctaq; vita decori est,
Et placet illa Deo, cordaq; casta juvat.

Dn. PASCHASII BRISMANNI I. U. D. & Imp. Cam. Advocati.

FAlciger ille senex thalami turbator & osor
Haud dextro in cœli constitit arce loco.
Os torvum incurvus transversa tuentibus hirquis
Cornigeram aspexit per tria signa Deam.
Quo solet & pueros, & sternere morte puellas,
Miscere hostiles quo solet ore faces.
Hunc cœptis pugnare piis, Eberarde, benigni
Conjugio ut virtus sensit amica Iovis,
Distantem duo signa oculis pater aspicit æquis,
Dulciter & ridens placat Atlantiaden.
Phœbus Tyndaridûm, Phœbe gemmantia Cancri
Brachia, & indè feri lustra Leonis adit.
Est felix, Tyvestrenge, torus, quem summa serenant
Numina, quemq; tegit cura benigna Iovæ.
Nil tibi, fide Deo, Mars luctifer ore sinistro,
Nil tibi Saturnus falce nocebit atrox.
Non Canis occidui metuens turbaberis astro,
Nec damnosa tibi fulmina, grando, Notus.
Quamvis imbriferas Lybici per Plejadas Austri,
Fulmine turbidum iter ambulet ipsa Venus.
Nubila dissiciet DOMINVS, stabitq; remotis
Nimbis in portu tuta carina suo.

Trau-

Transibunt sine nube dies, sine fletibus anni,
Natorum natos tuq; videbis avus.

Votum nuptiale ex Psalmo 128. desumptum.

IOHANNIS MOLLERI E. F.

UNquam si numeros Calliope tua
Prædulcis cecinit suaviloquos lyra;
Nunc ô nunc socio carminibus toro
Acclamare decet piis:
Virtutis quoniam SPONSE decus colis,
Præstans mirifico mentis acumine,
Insistisq; viæ quam DEVS exigit,
Felix es tèr & ampliùs;
Namq; etsi labor est curaq; multiplex
Exantlanda piis, in Domino tamen
Haud unquàm labor est irritus: at piis
Cedunt omnia prosperè:
Hinc amplis cumulat divitiis DEVS
Arcam sponse tuam, divitiis honor
Insignis patrio jungitur in solo,
Cui præclaram operam locas.
Nunc porrò thalamum ducit & in tuum
Gertrudin lepidam, cui Charitum chorus

Mores compositos attribuit, Venus
Cui formam eximiam dedit.
Hæc mensam precor ut perpetuò tuam
Iucundo sobolis vestiat agmine:
Uvas luxurians vitis ut assolet
Cum magnâ dare copiâ.
Sit jucunda tibi & continuis grave
Curis cùm fuerit pectus, amabili
Complexu recreet: ceu recreant meri
Vires pocula languidas.
Sit formica domi, quæ latebris tegit
Farra æstiva cavis; moreq; turturum
Uni addicta tibi: vitis ut unicam
Ulmum amplectitur ardua.

Votum

IOANNIS CASELII.

Ἄλλο τί εὐχοίμην, Δισχοίνιε, Σοί τε τεῇ τε
Παρθένῳ, ἢ τάπερ ἐσθλὸς ἀνὴρ εὔξαιτο καὶ ἐσθλοῖς,
Συξεὐχθεῖσι πέδαις γλυκεραῖς γάμου ἱμερόεντος.
Εὐσεβίην τ', ἀρετήν τ' ὁμόνοιάν τ' εὐφροσύνην τε
Εὐπορίην, πολυεὐτεκνίην, αἰῶνά τε μακρόν.
πάντων γὰρ τ' ἀγαθῶν ἄμφω πάνυ ἀξίω ἐστέ,
καὶ σύγε παρθενικὴ καλὴ τά, τε ὄμματα καὶ νοῦν:

καὶ

καὶ σύγε νύμφιε καλὲ, κορῶν διὸς ἐκγεγαυῶν,
καὶ φοίβου θέραπον, καὶ ἀθηνᾶς, ἠδὲ θέμιστος,
φῶς γένεος, πολλοῖσιν ὄνειδρ, πάτρίδι κόσμος.
Χαῖρετον ἄρα, θεοῦ πάντ' ὄλβια ὔμμι διδόντος.

Nathanis Chytræi.

NUbere mense malum Maio Sulmonis alumnus
Credidit indicio obstreperi sine pectore vulgi:
In pulchro quamvis longè pulcherrimus ille
Mensis, & in toto sit florentissimus anno.
Sed nos indicio Pauli, Christi ore locuti,
Novimus esse bonum quôvis vel mense vel anno
Nubere, quandò bonum id statuit vox alma Iehovæ,
Vox nulli carpenda hominum: contraria quamvis
Cœca superstitio, & stolidi sapientia mundi
Persuadere suæ studeat quandoq; catervæ.
Tutiùs hinc lucem ut mundi, solemq; sequamur
Iustitiæ æternum, lapsi qui virus Adami
Hoc veluti lenire modo, nimiumq; feroces
Æstus affusis voluit compescere lymphis.
Hoc igitur dono illius lætemur, eoq;,
Ut decet & par est, gratiq; hilaresq; fruamur,
Securi quæ sit vecordis mens Epicuri,
Quæ miseri Euripidis sententia, quæq; aliorum,
Conjugium qui dulce malum, quod ferre necesse
Sit tamen, amentes linguâ dixere profanâ.

Sint procul à castis tam putida dicta labellis.
Conjugium non dulce malum est, sed dulce malorum
Pharmacon æthereum: sed sic quoq; dulce, sub illo
Sæpè ut amarities, medio de fonte leporum
Emergens, lateat. natura hæc namq; medela est,
Ut bona sint permixta malis, & dulcia amaris.
Nec tamen hanc ideo totam aspernabitur æger;
Verum illâ, siquidem agnoscat sese ejus egenum,
Saucius utetur: forsan sapientior ipso
Ni velit esse Deo: & fumum vitare laborans
Aut Scyllam; in clibanum semet, diramvè Charybdim
Præcipitare miser. quod tu contingere multis
Non ignarus eras, sponse ornatissime, casti
Magnum Eberarde *decus Phœbi, Themidisq; satelles*
Innocuæ, quando florentibus integer annis
Molleriam *tib* Gertrudem *virtutis amore,*
Et formâ eximiam, celebriq; è stirpe puellam
Ducere complacuit, grati quæ compede vincli
Iuncta tibi, tecum concordes suaviter annos
Exigeret, faceretq; novâ te prole parentem.
Sis felix, sanâq; diu cum compare vive
Incolumis, Majo quamvis tua gaudia mense
Incipias, patriæq; tuæ, domuiq; relinque
Filiolos, qui Molleriâ de stirpe priores
Mox iterum heroas referant, quorum aurea virtus,
Et pietas, animiq; vigor, sinceraq; mentis
Integritas variis jampridem innotuit oris.
Iamq; adeò patriam Hamburgam *(quam hinc, pisci-*
fer Albis, Veli-

Velivolis inde Oceanus ditare quadrigis
Certatim fatagunt) sic condecorantq; coronantq;
Istâ ipsâ de gente viri; pulcherrimus ille
Baltheus ùt magno magnum decore Orionem
Accumulat, quando Australinum sine nubibus ortus
Ingreditur cœlum, & reliquos superemicat ignes.

Ad sponsum Ode
MATTHÆI MOLLERI, H. F.

CVi serenum hunc imputabimus diem?
Cui illa gentis gaudia
Hammoniæ *atq;* Cimbricæ *? &* Rheni *accolûm*
Huc vota transeuntia?
An usq; nobilem decus Spiram *tui*
Tvvestrenge *pelluxit thori?*
Non sat bona est audire verba Saxonum?
Quin junge Rhenum *&* Alstriam*:*
Ni tam foret remota, credo seriò,
Gens Gallica aut Saturnia,
Quæ tum viderem festa? Tute ipse insuper
Æquè pius, clarus, bonus,
Sponsæ *piæ, pulcræ, bonæ conjungeris,*
Nonne ergo nunc beatus es?
Atq; euge, quàm Pio Seni *præ gaudio*
Sinistra mamma subsilit?

Quam

Quàm corculis dulce est senum parentium,
Tales creasse liberos!
Ceu stirpis antiquæ arbores, pulcris comis
Et frugibus superbiunt:
Sic floridi fruge & vigore surculi
Canens ei caput beant.
Dum quinq; cernit ritè ramos è novis
Hic germinare stirpibus.
Nec posthaberi frondibus ullis, solum
Quæ Hammonis *uber procreat.*
Teq; ò det Alstricis DEUS *felicia*
Virgulta ferre fascibus:
Habebit hinc quod æmuletur tertius
Frater decus Phœbi inclytum,
Phœbi æmulus, cui, tibi ceu curiæ,
Secreta naturæ patent.
Vive ergo, vive Eberharte Gardruti *tuæ,*
Vivatq; Gardrutis tibi:
Dum Nestori æqualis tuos recenseas
Seris nepotibus dies.
Et quæ dicamus vota læto comproba
Vultus amici lumine:
Sic debitis majoribus devincies
Nostras tibi Hippocrenides.

Nuptiæ Twestrengicæ.

IOHANNIS MOLLERI H. F.

IN nova fert animus coeuntes dicere dextras
Fœdera: dive Pater (nam tu conjungis & illas.)
Adspira cœptis, festivumq; ipse novellis
Per mea conjugibus deduc modulamina carmen:
Fortè mare & terras, & quod tegit omnia cœlum
Ales Amor peragrans (genus quo certior ullus
Mortales non est pulchrâ sub imagine mentes
Captare) Alstriacas tandem devênit in oras,
Vidit & immensâ afflictum sub mole laborum,
Dum magni vel res populi, secretavè patrum
Gambrivium curans, nunc hæc nunc illa revolvit,
Nunc tabulas alium dandas præscribit in orbem,
Thuestrengum: *hiccine ait nobis impunè rebellis*
Semper erit, mea nec valet hunc frænare potestas?
Quippe vetor fato: Turpis veroille nefandis
Idaliæ gnatus gentes submergere probris
Innumeras poterit, toti & dominabitur orbi,
Post culpam unius nocua & deliria Adami:
Ipse sua è blando jaculatus spicula vultu,
Trajicit humanos animos, perimitq; veneno.
Hinc Sodomæ, hinc altæ perierunt mœnia Trojæ,

Infandiq; animæ numeri quas posſidet Orcus.
Aſt ego progenies qui glorior Altitonantis
Humaniq; potens animi rex eſſe, tot annos
Unum hominem fruſtrà oppugno: nihil ille movetur,
Sed velut annoſam celſis in montibus auræ
Hinc atq; hinc agitant quercum, radicibus hæret
Illa immota ſuis, infractaq; robora tollit:
Sic mihi nec coecis nec apertis viribus heros
Pugnanti cedit: quid reſtat, noſtra Dione
Ni toto cedat nunc orbe potentia regno.
Talia commoto ſecum ales pectore volvens,
Præpetibus ſuperans pennis ſe tollit in oras,
Alituum cœleſtûm acies ubi ſancta Parentis
Æterni cantu celebrantes nomina, totum
Aëra permulcent, & multicoloribus alis
Plaudunt: parte chori magna ætheris atria fervent,
Pars liquido pendent, & propugnacula læti
Summa teneni, ſuperûm & nunc mœnia celſa coronăt.
Nunc ſe demittunt, & pennis aëra obumbrant.
Aulai in medio reſidens Pater, omnia mundi
Sidera cum ventis, elementaq; trina gubernat,
Ipſius ad ſolium tum olli pernice choreâ
Lætitiæ indulgent, & ludo lucida regna
Colluſtrant, medium ſe quando Amor intulit illis
Atq; verecundo ſupplex ſic ore profatur:
Magne Pater, qui res hominum ſimul atq; deorum
Æternis regis imperiis, & numine torques,
Terrarum quid ego ſine fine fatigor in orbe,

Tu

Tu nisi conatus nostros successibus ornes?
Namq; (alia ut sileam, longa esset concio, longæ,
Ambages) Quid Gambrivia residebit in urbe
Tempus in omne thori fidâ sine compare, tot quem
Perfunctum studiis, tot subductumq; periclis
Galliæ & Ausoniæ, terræ domuiq; paternæ
Servasti: totumnè ut solus transigat ævum?
Nec tibi cultores alios post fata relinquat?
Omnia tentavi, nec jam formosior ulla est
Nympharum Alstriadûm, quas blandula Suada Venusq;
Ante alias decorare solent, Charitesq; decentes,
Illius occulto quæ non flagraret amore.
Sæpe Helice in memori renovat mihi mente dolorem
(Quæ fato haud visum est hos ut supereesset in annos)
Formosa illa Helice, tenero cui dulcior ore
Melle loquela fluit. Quem non de lacte rosisq;
Surgentes genæ, & è niveâ radiantia fronte
Sidera movissent, Pario & de marmore collum?
Quidve manus memorem molles? quid corporis artus?
Major erat virtus animi, morumq; venustas
Quàm vulgus patitur, perhibebant principe dignam:
Hæc tota ardebat, teneris penitusq; latentes
Ossibus illi ignes fidos bene fida fovebat.
At quanto misera implebat penetralia questu?
Quas lacrumans umbrasve Erebi noctemve profundâ
Optabat, tantos frustrà cum ferret amores?
Ter Sol occiduas serus descendit in undas,
Ter matutinâ lustravit lampade terras,

Cum

Cùm nondum alma Ceres precibus, dulciſvè Lyæus
Invenére viam aut ægræ ſolamina menti.
Quidvè alias tandem Albiadas Pater alme fatigas
Spe thalami? da poſſe viri convertere ſenſus.
Annuit Omnipotens vultu quo cuncta gubernat,
Atq; tibi inquit habe tanto quod tempore quæris.
Sed nec te ſcito decuiſſe tot urere Nymphas
Unius ob thalamum Heroïs, prudentior ille eſt,
Qui nulli volúit noſtro ſine numine jungi.
Nunc fato qualem tribuam illi, adverte docebo:
Non quas tute angis, ſed quæ ſecura paternis
In laribus cum matre latet, tedæq; thoriq;
Neſcia, maternos mores, exemplaq; diſcit
Priſca pudicitiæ, teneram annis Mollerinen,
Sed multis ſpecie atq; animi virtute priorem.
Hanc illi copules. Abeas tu (fortè propinquus
Stabat Hymen ſerto redimitus) nuncius ipſi
Noſtræ Hymenæe voluntatis, jungiq; jubeto,
Dixit. Uterq; ſimul pennis pernicibus æthram
Liquerunt, & ceu quandò Iovis ales ab alto
Deſpiciens leporemvè ſibi, cygnumvè notavit,
Quem celeri rapiens imitatur fulmina lapſu:
Haud aliter gemini Aſtræos ſecuére volucres
Circuitus, imis donec ſub nubibus urbem
Cernunt, hinc placido petierunt littora motu,
Quà portus vaſtâ ſaxorum mole, laboreq;
Ingenti ſtructus jungit cum mœnibus Albim,
Et feſſas curſuq; ſalisq; adſpergine naves

In

In tutum recipit, merces & in urbe reponit.
Magni opus hoc magnum Molleri, civica qui sic
Clausstra indefesso pastm munire labore
Non cessat, patriaq; hostes excludere ab urbe:
At Amor & mitis portas portusq; Hymenæus
Semper habent passos, summiq; putantur amici.
Ingressi ergo parant jussis parere Tonantis,
Magnanimum hic mulcet pectus, sociaq; jugalis
Paulatim desiderium molitur: At ille
Ignotâ nymphæ tenerum dulcedine tentat
Cor tacitus, juveniq; novos in corpore sensus
Excitat, illa ignara doli se commodat ultrò
Versuto artifici, cuiq; olim sola fuisset
Cura piæ cum matre preces, & chara juventæ
Simplicitas, nunc eximiæ sibi conscia formæ
Maturiq; in sese animi, nova pectore versat
Consilia, incipiens pulchram arte juvare figuram,
Nunc sinit in patulâ crispantes fronte capillos
Ludere, nunc varie fingit stringitq; vagantes:
Nunc sibi purpureisq; genis, roseo ore & eburneâ
Cervice ipsa placens, mentitaq; imagine divam,
Hinc atq; hinc oculis socium sibi quærit amoris,
Is donec cui blandus Hymen jam tædia inanis
Concierat thalami, dominam nunc ædibus optat,
Nunc placidam vitæ sociam: sic forte volente
Seu fato seu Patre Deo, illam vidit, & hæc est,
Quæ nostros flectit sensus, animumq; labantem:
Hæc mecum, quod fata volent, dein transiget ævum,

Inquit, & ex animo nymphæ grata oscula libans,
Seq, suamq, olli vitam despondet, & altum
Suspiciens fieri hæc rata fœdera cœlitùs optat.
Nec mora, fit sonitus claro æthere, summaq, cœli
Machina visa fuit nutu tremere omnipotenti.
Ipse etiam ales Amor, tanto ne cardine rerum
Cessaret, citus advolitat, cultoq, resîdit
Corde viri, & flammæ, nimium quam cura vetabat
Publica adaugeri, viresq, alimentaq, subâit:
Serpit & in totas penitus sese illa medullas
Diffundens, alacris sua pristina damna resarcit.
At vigil extemplò hæc resciscens Fama vagatur
Mœnia per sylvasq, omnes, camposq, virentes,
Quà vasto aut Albis ruit inter littora fluctu,
Vel quà spiciferos levis Alstria permeat agros,
Mille puellarum, & juvenum quas ante cupitum
Destituêre diem socialia vincula lecti,
Commovit mentes, inter votum invidiamq,
Hæ dubiæ pendent, illæ bona verba precantur
Ore quidem, sed corde sibi magè talia vellent.
Ipsi etiam Proceres urbis & sancta Senatus
Gambrivÿ series coëuntes, alta Tonantis
Tecta petunt: alÿ comites Sponso agmine denso
Ire parant, alÿ hac veniunt à parte frequentes
Cum Sponsa: innumeræ fervent ædesq, viæq,
Confluxu gentis, resonant sacri atria templi
Artifici cantu, celsas it plausus in auras,
Altaq, cordigenis perrumpit sidera votis.

Sicq,

Sicq; sacram pergunt Iovæ altitonantis ad aram.
Hîc pietate gravi & meritis insignis ut illos
Conspexit Iovæ vates, processit, & altè
Sublato ad populum vultu sic ora resolvit:
Est antiqua patrum, mundo ipsi æquæva jugalis
Religio thalami, quæ nos sine numine jungi
Iure vetat, Iova ipse Pater terrâq; polisq;
Constructis hos conjugij stabilivit honores.
Namq; suâ in mundo ut binas se ferre recenti
Lege animas vidit, simili & soboleſcere fœtu,
Solum hominem, cui tota foret dein subdita mundi
Gaza, carere pari, quicum commune parentis
Susceptâ nomen ferret sobole: Ecce sopora
Dum fovet ossa quies, geminâ Iova ipse solutâ
Costarum serie, binis formavit ademtis
Primam hominum matrem, qua nil Sol aureus usquam
Pulcrius aut Hecate celso despexit Olympo.
Hanc igitur genitori hominum Adæ deinde maritam
Pronubus ipse Deus spondens, hac lege futuros
Stemmate perpetuo mortales vivere sanxit.
Is etiam vultu, quo terram ac astra serenat,
Adspiciens vestra hæc nutu connubia firmat.
Dixerat, auxiliumq; illis cœleste precatus,
Ominibus fauſtis iterum discedere jußit.
Ergo domus mensis nunc assignata futuris
Tota viget, tota aulæis cœnacula fulgent,
Serta fores ornant, humus undiq; flore superbo
Balsameasq; fragrat guttas, saltusq; Sabæos.

Hic variè pictis longas obsternere mensas
Accelerant juvenes mappis, atq; ordine discos
Argento ductos, tenui & mantilia filo,
Dona laboratæ Cereris, patrisq; Lyæi
Apponunt latices quà tecum Eberharde recumbit
Gambrivij columen patrum venerabilis ordo,
Et quos nobilitas antiquûm insignit avorum,
Quosve sibi summi legerunt culmina templi
Præsidium atq; decus. Sed jam mihi nulla referre est
Cura suo longis residentes ordine mensis
Indigetes, peregrè advectos: nec lancibus escas
Confertim positas, nec dulcis munera Bacchi
Enumerare labos: angusto hæc claudere gyro
Mandat Hymen, curâ quoniam meliore laborat.
Namq; epulas illis inter calicesq; disertos
Dilabente die, lectam totâ urbe juventam
Is contemplatus, non hoc non talia poscit
Ocia tempus, ait, quid si Tvveitrengia plures
Tæda alio arsuros quoq; tempore susciret ignes:
Surgendum est juvenum turbæ, innuptisq; puellis,
Matribus atq; viris, flexis nam sæpè choreis
Ad tædam ortus amor, veluti de lumine lumen
Succensum, assumtis superavit viribus ortum.
Nec mora: cernuntur vacua atria, cernitur ipse
Nunc hilarem ducens choream cum virgine Sponsus,
Nunc vultu sponsa & roseâ cervice refulgens
Circuit, hanc geminæ tremulâ cum lampade junctis
Præcedunt manibus nymphæ, longo inde sequuntur

Ductu

Ductualij, ad numerosq; movent genialia crura,
Sicq; agiles illis cœptæ de more choreæ.
Et jam præcipitem medio Sol aureus orbem
Volvi in Oceano, dulcem & nox humida somnum
Sparprat in terris, amplexus quando cupitos
Indignatus Amor differri longius, ore hæc
Murmurat irato: Quæ confidentia tandem
Posidet, & placitis totiens illudere nostris
Tete Hymenæe docet? parum erit tibi temporis usum
Præteriti cessisse? etiam, quæ prima petiit
Iure foret thalami, raperes nisi perfide noctem?
Hoccine pactus eras? noctis mecum atq; diei
Sic partire vices? Et quicquid tale volebat
Insuper effari: placido nisi pectore contrà
Ille jocos risumq; gerens, nec jurgia passus
Crescere, lusisset conceptum mente dolorem:
Dum mediam roseo Thaumantis se ore ferebat
Blanda utrunq; manu prendens, facilemq; diremtu
Litem ait, atq; simul Sponsum, comitantibus illis,
Cum charâ in thalamum ducens Molleride, clausit.

De Dn. PASCHASIO BRISMANNO D. &c. HENNINGI CUNRADINI.

ROmanas docto servat qui pectore leges,
Foro colunt quas Teutones:
Qui tenet astrorum motus, & sidera cœli,
Tenetq; vim, discrimina:
Qui benè contracti conservat fœdus amoris,
Colens amicitiæ modum:
Has ternas Eberharte sibi celeberrime laudes,
Habere Brismannus docet:
Unus Sulpitij peragit, Scauriq; scientis,
Fidiq; munus Attici.

M. HENNINGI CUNRADINI. P. L.

VOS mihi, quæ plectris dulces cecinistis amores,
Cum pulchræ Thetidis petijt connubia Peleus,
Aonides, mihi nunc memorate jugalia lecti
Fœdera, quæ juvenis castâ cum virgine jungit:
Tuq; adeò, qui jam genialibus additus hortis
Felicis Veneris, quæ castra pudica frequentat,
Accedis sociam cum sponsa lætus ad aram:
Cui virtus, Eberharde, comes, doctrinaq; rerum,
Quiq; decus Themidos, servas qui jura sacrata

Musa-

Musarum & Charitum limen, qui dulcia condis
Carmina, & Ausonios rapis in certamina vates:
Accipe quæ thalamo divæ jam fausta precantur,
Et tua quod decorat sacrum pia gaudia votum.
Venerat è cœli pulcherrima sedibus Hebe,
Culta Iuventutis claro quæ nomine Diva est,
Amphitryoniadæ placido conjuncta cubili,
Pocula quæ Divis præbet, velut altera præbet
Pocula piniferâ Ganymedes raptus ab Idâ.
Hæc sine Patre Iove est, quam Iuno enititur Heben,
Lactucis avidè positis ab Apolline vescens:
Vt sine patre ferox & eâdem matre sub auras
Mars datus: at sine matre Iovis de vertice Pallas.
Pars Hebæ sed casta Iovem facit esse parentem,
Aurea temperies cœli cùm lapsa per oras
Aërias, arboreos fœtus, & pabula donet,
Atq; feras, pecudesq; soli, cæliq; volucres:
Cum ver purpureum cœlesti splendet ab aurâ.
Sic comes hanc Heben spectat venerata Iuventas:
Hæc Dea robustis vires animantibus addit,
Corporibusq; hominum gratos aspirat honores,
Naturæ reparans opus, atq; vigoribus implens.
Tum Dea depromsit monumentũ & pignus amoris,
Depictam variè tabulam, cultuq; nitentem,
Res pulchras Regum servantem & facta decora.
In medio nitet ingenio perfectus & arte
Admetus, quem cura Deûm, quem claraq; virtus
Extulit, in placidâ terras qui pace regebat,

Thessaliæ quà regna patent, jucundaq; tempe.
At tum concussus luctu descendit ab astris,
Casu & morte dolens multum Phaëtontis amati,
Ut subitâ rapuit multatos morte Cyclopas,
Fulmina condiderant qui cari in funera nati,
Phœbus ad Amphrysi confedit flumina pastor,
In pratis armenta sequens, lenitq; dolorem,
Inter & umbrosas sylvas, & dulcia prata,
Servitiumq; novem totos duraverat annos:
Tempus ut exactum est, satis & tellure moratus,
Suspectat cœlum nitidum, seseq; fatetur,
Ducere qui solitus radiantes æthere currus,
Qui sol magnus obit radiis terramq;, fretumq;,
Obtulit hic dictis se sceptrigero Admeto:
Pro magnis tibi gratus ero Rex Thessale donis,
Me quod odoriferis latitantem foveris arvis,
Te quoq; mortalem cum tangere fata parabunt,
Vincere fata para, sese quicunq; paratum
Offeret hic pro te, Stygias transibit ad undas.
Hic redit in cœlum: multos jam fata per annos
Admeto veniunt regi, jacet æger & exspes,
Quiq; obeat pro se gemebundâ voce petebat,
Atq; unum ex multis gravis implorabat amicis:
Qui faceret, sed nemo fuit: subit excita conjux
Admeti Alcestis: propius me fœdere poscit,
Inquit, & hîc carum me longiùs opto maritum
Vivere, me rapiant Lethæos fata sub amnes.
Non equidem Oceani, non & per inhospita terræ

Saxa,

Saxa, nec ira poli si qua vocet, ire recusem:
Sæpius vndè tamen dant Numina fida regressum.
Nunc etiam, vel si quid durius extat in orbe,
Mors adeunda mihi est, nec quicquã horresco, sed illa
Ut perimat regem, metuo, nunc reddo perenne
Fœdere conjunctam non jusso funere vitam.
Sic Rhadamanthæas regina petiverat umbras:
Regnaq; Thessaliæ salvo sub rege manebant.
Fortis at Alcides duri tunc venit ad Orci
Limina, mox domitum post Cerberon, ilicet umbras
Aspexit torvus, quas viderat inter amatæ
Conjugis Admeti vultus, meritiq; stupendi.
Hic memor, à Stygiis Alcestida liberat oris,
Admetoq; refert: cum quo jam luce supernâ,
Utens connubio feliciter exigat ævum.
Tantus honor thalami est, & Divûm cura, jugalis.
Sed tabula hæc quadrata patet: quà dexter in alto
Circulus est: pictisq; simul nitet angulus oris:
Pelius hîc formosus erat, quem vafra petebat
Hippolyte, nunc blanditiis, nunc & prece multâ:
Uxor regis erat, sed non trahere illa pudicum
Prævaluit juvenem: mox falsi criminis autor
Fœmina prodibat: delatum damnat Acastus,
Qui tunc Magnetes rexit, sibi Pelius adsit
Rex jubet, ac venatum abijt sub Pelio alto.
Mox sylvâ in densâ leporesq; feraq; sequentem
Occupat, & notis cum vestibus exuit armis,
Permittitq; lupis nudum, & crudelibus ursis.

At celer allabens levibus Cyllenius alis,
Mulciberis gladio rapit hunc è morte cruentâ,
Hippolyten perimens, & figens corpus Acasti.
Picturæ micat hinc ductu sed parte sinistrâ:
In Prœti regnum juvenili venerat ævo
Bellerophon, spes hunc fovit sed maxima laudis:
At Prœti conjunx fuerat, formosa videri
Quæ potuit, sed non potuit quæ casta videri:
Sollicitat juvenem, Iuvenis mollissima vitat
Verba, pari studio fugiebat & oscula prudens.
Crimina confingit Stenobœa: remittit in aulam
Rex juvenem soceri, socer hîc ad aperta pericla,
Bellerophontæam statuit demittere dextram.
A magno datus hîc Neptuno Pegasus acer,
Qui valeat cœli levis evolitare sub auras:
Fretus & hoc fera monstra solo contriverat heros,
Diraq; flammivoma restinxerat ora Chymera:
Vsa suâ cecidit thalamo sed fœmina dextrâ.
Non scelus est, quod non dolor, & sua pœna sequatur.
Dextris inferius positum, sed cernere promptum est,
Magnanimum Cyron, qui Persica sceptra tenebat,
Ipse quòd Abradati Panthæâ conjuge vultus
Avertit, Cypriæ cui forma simillima Divæ:
Pellæus veluti juvenis tunc ora videre
Abnuit uxoris Darÿj, captasq; sorores.
Hîc lævâ videas effulgere simplice cultu
Scipiaden, qui tunc Romano more recusat
Virginis Hesperiæ vultus oculosq; tueri,

Credita

Credita quæ fuerat juveni jam fœdere ſponſo.
At ſuprà in medio clypeus depingitur altè,
Surculus hìc ſervans antiquæ inſignia ſtirpis,
Et ternis foliis, & terno flore refulget:
Exerit è galeâ niveus caput æthere cygnus,
In collo geſtans auro rutilante coronam.
Hæc pulcrâ in tabulâ tibi promit & exhibet Hebe,
Dulciaq; oſtendit morato in pectore dona.
At Venus ex auro torquem fert candida Sponſæ,
Nempe duos mirâ perfectos arte parentes,
Diſcat ut hinc virtutem, & connubialia jura,
Quam pius hac genitor ſpe dignâ fovit in urbe,
Leucoreis Iuvenis qui verſabatur in oris.
At tuus hic, Eberharde, parens, venerandus & ævo
Et canis, juveni cui tempora læta fluebant,
Cum nitidos & equos aleret, tractaret & arma,
Lætitiâ afficitur Ioachimus, & ardua ſpectat
Ingenij monumenta tui, doctumq; laborem:
Nunc etiam Helvetiis Albertus degit in oris,
Naturæq; vices ſcrutans, artemq; medendi,
Filius alter, & egregias comitatur in urbes,
Inſigni carum ſtudio complexus amicum.
Gratulor at thalamũ tibi nunc Tvveſtrenge jugalẽ
Gertrudiq; tuæ, quæ nunc magis omnibus una eſt
Cara tibi, quam fata tuo legére cubili,
Cum quâ legitimis vivas in amoribus annos.
Dum ver floriferum, roſeâ dum ſpirat ab æthrâ
Aura favens, ſuavisq; modos Philomela canoros

Integrat

Integrat, alituum regina sub arboris umbrâ:
Vt rosa floreſcens, & lilia fulva per hortos
Igne micant, ſparguntq; novum per gramina odorem:
Vt Venus Heſperio qua ſurgit ab axe niteſcens,
Sic quoq; nunc floret tenero Gertrudis in ævo.
Fundit ut auratas Amaranthus ab ore colores,
Vt matutino cùm lucifer ore reſultat,
Sic quoq; nunc fulget patriis Eberhardus in oris.
Nil ego de Gallis, quorum tu maxima regna
Luſtraſti, nil de Româ ſeptemplice dicam:
Sed de ſtirpe tuâ pauca, & virtute revolvam.
Salve ſponſe decens, magni pars fida Senatus,
Verbaq; Gambrivij proceres facunda fidemq;
Mirantur, ratio & noſtræ tibi creditur urbis.
Eſt, Eberharde, tibi maternâ ab origine Conſul,
Conſiliis florens Eberhardus & ore diſerto:
Mollerûm fuit hic claro de ſtemmate natus,
Illius & fixit Sapientia pectore ſedem:
Frater & huic Iuriſq; ſciens, doctæq; Minervæ:
Tertius Hebrææ linguæ, linguæq; Pelaſgæ
Arbiter Henricus, naturæq; abdita quærens:
Ianus & externo notus qui moribus orbi,
Regibus ingenio carus, & flumine linguæ.
Heſperus intereà noctis prænuncius exit,
Et placido languens connixet pupula ſomno,
Indulgentq; mero ſocij, ſalibusq; jociſq;:
Suaſerit hoc tempus primos conjungere ſomnos
Et ſponſæ, & ſponſo: Concordia læta perennet,

Et

Et dulcem thalamum Pax molli ſpargat olivâ,
Et Genius fauſtâ bonus aſpiraverit horâ.

AD

D. Sponſum

EBERHARDUM TWE STRENGIUM J. U. Licent. & Secretar. Hamburg. Dominum ſuum, & amicum veterem.

CVm tu legitimæ celebres connubia vedæ,
Hæc me pauca tibi condere juſſit Hymen.
Poſtulat officii ratio, quod debeo ſemper,
Sit licet hæc impar quæ mihi vena fluit:
Hæc, Eberharde, tamen grato præſtare volebam
Pectore, quæ ratio poſtulat officii.

M. Henningus Cunradinus Hamb. prid. Cal. Iunii, Anno Chriſti, 1584.

M. GE-

M. GEORGII TRAIECTINI, Conrect. Hamb.

Parodia Horatiana

Colloquuntur

Melpomene, Themis, Venus.

PHœbe hùc docte veni, lyræ
Sumens plectra tuæ; carmine Flaccio
Certamen refer as novum,
Inter quod Themidem & Melpomenen fuit;
Dum clarum meritis virum
Complexura sibi vendicat utraq;.

M. *Sponsus partibus à meis*
Est, namq; ipsius os artibus imbui,
Linguarumq; scientiâ,
In doctâ patriæ, & Leucoreâ scholâ.

T. *Castris militat in meis:*
Me jam ùm coluit, cùm juvenis meâ
Leges acciperet manu,
In clarâ Italiæ & Leucoreâ scholâ.

M. *Arcem nunc Sophiæ tenet,*
Novit palliduli quid doceant Sophi:
Oris flumine rhetoras
Vincit, melliflui Suada sedet labris.

T. Ar-

T. *Arcem Iustitiæ tenet;*
Iuris perdidicit vasta volumina:
Quem non vi celeri ingeni,
Doctrinæ & superat divite copiâ?
M. *Gentis, mentis & optimæ*
Multos, ingenuis imbuit artibus:
Multos carmine lugubri,
Et læto cecinit carmine plurimos.
T. *Gentes vidit & exteras,*
Gentes hunc cumulant laudibus exteræ:
In causis gravibus, fide,
Linguâ, consilio, civibus adfuit.
V. *Quamvis Pierides colit,*
Et castris Themidos militat impiger:
Nunc me nunc sequitur simul,
Mecùm vivere amat, mecùm & obit lubens.
Castam namq; puellulam
Clarorum veteri Molleridum satam
Stirpe, ipsi thalamo in sacro
Æternùm socians nunc propriam dico.
Votis ipsius addite
Patres vota, roget quilibet, ut DEVS
Sponsis connubium hoc piis
Iucundum esse velit, perpetuum & ferax.

CHRI-

CHRISTOPHORI SYLVII.

NUper ut à tectis virides apis ibat in hortos
Iunior & primum mel positura favo:
Vidit odorato prodens se flore triphyllon
Plectere tergeminum caule virente caput.
Ergo premens gyro tremulos arctante volatus
Bombilat, & summis imminet vsq; comis.
Mox amor auratis delapsus ab æthere pennis
Extulit accensas, matre iubente, faces.
Florilegamq; manu volucrem floremq; prehensans
Edidit arguto talia verba sono:
Ibitis in Cyprios apis & flos ibitis hortos,
Illic tu Veneri mellificabis apis.
Huc igitur converte animos, nil spicula prosunt,
Quæ digitis olim fixa fuêre meis.
Dixit; apemq; simul notas animosus ad arces
Duxit, in Idalio deposuitq; iugo.
Illic optatum libat nunc sedula florem,
Mox ceris condet cœlica mella suis.

ΓΑΜΗΛΙΟΝ.

EIA age nunc paribus firmans vestigia plantis
I celerem, mea Musa, viam, quà semita ducit
Proxima turrigeram dilectæ matris ad urbem.
Tempus enim deferre novis hæc munera sponsis,
Munera, quæ Charitum manibus conserta roganti
Ipse mihi, ut nosti, per amœna rosaria Varni
Legit, & hos Hymen concessit nuper in usus,
Ut, me dante, sacris fiant donaria tædis,
Quando suam cupidis ponens Eberhardus in ulnis
Gertruden fato junctos libabit amores.
Quid turbata siles? tritæq; interpola pallæ
Tristior attrectas digitis velamina? nubem
Deme supercilio, si non spectanda superbis
Veste novâ domini non divitis assecla pauper,
Quid tum? sæpè juvat neglectæ gratia formæ,
Nec fulget semper gemmis & murice virtus.
Ac scis ipsa quidem, quàm non fastidia sponso
Moveris ulla tui, cùm, me poscente, verendis
Stipatam patribus sedem, sanctumq; tribunal
Haud meliore nitens ausa es contingere cultu.
Tunc tibi, ceu rediens narrabas, corda Senatus
Concilians favit linguis, & lumine blando
Annuit arcanum nutu testatus amorem.
Id spectans, notæq; memor, mea nuncia, famæ,

Qua ſponſi aureolis nituntur in aëra pennis
Et labor & virtus, candorq; & prona merendi
De Phœbi ſtudiis & de pietate voluntas,
Suſcipe non tetrico, quæ mando, & perfice vultu.
Nec te craſſa hebetis turbet jejunaq; linguæ
Aſperitas. non miſſa venis, aut dicere magno
Verborum ſtrepitu laudum præconia ſponſis,
Aut omnem vitæ cantare jugalis honorem.
Virtus ipſa ſibi laus eſt pulcherrima, virtus
Cultores colit ipſa ſuos & honoribus ornat.
Ac thalami ſpeciem non illa volumina tantùm
Scripta Dei digito: non tot monumenta loquuntur
Summorum vatum: præſentis gratia cœli,
Temperiesq; ſoli, parientis & omnia mundi
Corpora conjugium pingunt, ſignisq; celebrant.
Nec levis eſt vermis, qui non ſociale figuret
Jam fœdus, finemq; thori teſtetur & uſum.
Ipſa etiam tenuem dum texit aranea telam,
Perq; ſuos mirè diſcurſat pendula caſſes,
Conjugibus vitæ leges & munia ponit,
Munia, quæ deinceps meliori in imagine formas
Parva, ſed immenſi ſpecimen formica laboris,
Quando ſub Icario ſolitam cane fervida meſſem
Urgebit, ſiliceſq; terens remeando probabit,
Quanta vel exiguâ benè ſedulitate gerantur.
Ne ſuper his igitur cunctare. ſed accipe tandem
Dona manu: quæ, cùm donandos cernere coràm

Ducem-

Ducentes Hymenæa sacro convivia ritu
Iam licet, ac notas audire & reddere voces,
Quàm poteris brevibus contendas tradere verbis.
Hoc primùm sponsæ sertum. nam primus avito
Virginibus debetur honos de more, suamq;
Vir sapiens costam nullâ non laude coronat.
Atq; ubi das, placido vultu sic ora resolve:
En tibi, virgo decens, magnorum magna parentum
Progenies, nunc sponsa viri, quo dignior ulla
Non fuit, hanc violis contextam & flore corollam
Purpureo, Charitum calathis ea demta, sub hortis
Hyblæis Varni, prius est commissa Hymenæo,
Dein nostro quoq; cessit hero; cui tradidit Hymen
Oranti, voluitq; illam redimire capillos,
Nympha, tuos: ergo hanc ne desere, sed tibi serva.
Sertum est exiguum, documenta sed ampla ministrat:
Namq; tuis digitis nectendam è flore coronam
Insignem, dandamq; tuo monet optima sponso
Sponsa, sit ut vestri medicina doloris, imago
Laudis, & æterni monumentum & pignus amoris.
Flos autem est morum flos aureus ille bonorum.
Hunc tenerâ decerpe manu, properansq; laborem
Arte tuo cordi, quâ dixero, confice sertum.
Circulus esto Dei reverentia, tænia sanctæ
Mentis opus, virtus & juncta pudore venustas.
At color is fili, quo florum germina nectes,

Sit Prasinus porri, sit Ianthinus aut Amethystis,
Quos benè conjungi, quos mutua prodere pulchro
Notum est indicio concordis fœdera vitæ.
Sic effata, suo meditantem munera sponsam
Mitte loco, sponsumq; petens hunc porrige torquem,
Atq; ea non multis & adhuc blanda adjice dictis:
Sponse decus Phœbi, quẽ dева Themista potentis
Hammoniæ fecit secreta negocia fido
Consilio & tacitâ lustrare indagine mentis,
Vir, cui magna suas concredit patria curas,
Hoc cape, sed facilis, quo te tuus ille coronat
Sylvius, haud gemmis baccatum auroq; monile,
Sed Charitum studiis fulgens & honore monile,
Atq; tori sponsore datum, quà flumine Varnus
Alluit Aonidum roseos hilaratq; recessus.
Haud magnum est munus, sed quàm te magna sub isto
Sponsum poscat Hymen, paucis, adverte, docebo:
Tempus adesse monet, quo cordis gemmea promas
Dona tui, faciles motus, animumq; serenum,
Intactæq; decus virtutis, ut inde monile
Efformes sponsæ, quod collo læta sinuq;
Detractum ipsa tuo sibi sumat, & omne per ævum
Gestet inextincti donum geniale caloris.
Emicet ergò fides, torti velut ambitus auri,
At sincera fides & mens, preciosior auro.
Huic addatur amor, vel flammeus ardor amoris
Legitimi, capiatq; locum, quem torque sub aureo

Obii-

Obtinet arcano floreſcens igne ſmaragdus,
Florentis thalamo ſignum memorabile pacis.
Hæc ubi finieris, ipſum quoq; linquito ſponſum
Sede ſuâ, ſenſimq; graveis cauta erige vultus
Ad patriæ patres, quos magno accumbere circùm
Conſeſſu cernes, cunctisq; precata ſalutem
Unum oculos, unum converte decenter in illum
Quem ſponſus noſter conſanguinitate propinquum
Non ſecus ac patrem colit, & cognominis ardet.
Mollerum dico, qui non virtutibus ipsâ
Quam regit vrbe minor faſces attollit olympo.
Olli hæc poſtremum dans dona & baſia ponens
In ſummis leviter foliis ea verba loquaris:
En pater, en patriæ, vir, maxima cura ſaluſq;
Stellantes has porto roſas & lilia nodo
Stellatis connexa roſis, tibi nobile munus
Et dignum virtute tuâ, quod tedifer Hymen
Abſtulit è Charitum quallis, ab Hymene recepit
Noſter herus, qui ſe, qui me, qui deſtinat omne
Ingenium, pridemq; tuo devovit honori.
Hoc tu divinum & nulli violabile munus
Sic cape de noſtris manibus, non hæc quaſi primum
Hora ferat, priſco quia enim tibi lucet ab ortu
Eugeniæ dono lumen virtutis avitæ.
Sed cum feſta dies thalami bona verba requirat,
Cum ſponſi meditandus honos & gaudia ſponſi,
Sponſi inquam, veſtrum qui nomen & omen habendo

Impiger agnatas laudum consurgit ad arces;
Fas visum, hoc etiam decorare jugalia signo
Sacra, Deoq; piis pariter committere votis
Stellatasq; rosas & eodem lilia nexu,
Agnatumq; rosis stellatis dulce triphyllon.
Ergo volunt Charites, cupit Hymen, Sylvius optat,
Vernet odorato fœcundum flore triphyllon,
Sumat inexhausto vires ab amore triphyllon,
Vivat & æterno splendescat honore triphyllon;
Stellantesq; rosas & lilia candida virtus
Constringat, firmet Pallas, pia numina servent.
Nec vel stella jubar, florem rosa, lilia nympham
Amittant; sed vim dura sapientia mortis
Vincens & divûm bona gratia semine vivo
Tàm pulchrum faciant cœlo concrescere germen.
His dictis, caput inclinans & poplite flexo
Pone pedum retrò vestigia pauca, sub ipsum
Liminis ut venias medium; dehinc lumina recto
Obtutu in sponsum figens, aciemq; serenans
Connubiale canas claro modulamine votum,
Votum, non sponso quod magna per atria Cadmo
Pegasidum cecinêre chorus, sed quale superni
Numinis afflatu quondam vox regia vatis
Iessæi ad citharam sic cantu expressit eburnam:
Felix & nunquam fluibundâ sorte beatus,
Quisquis amans metuensq; Dei, quas terminat ille,

Itq; redit q; vias, nec vertit ad avia gressum.
Parta labore tuo comedes: nullius egenus
Externi proprio sine fraude metuq; fruéris.
Ipsa salus etenim manibus te ducet euntem,
Et fortuna feret motu non cæca secundo.
Pulchra tori consors generando vincere vitem
Certabit, vitem, gravidis quæ tecta racemis
Vndiq; complectens felices educat uvas.
At vivax soboles sobolem vivacis olivæ
Exsuperans formâ florebit, & ordine læto
Mensæ juncta tuæ totum circumdabit orbem.
Hic pietatis honos, hæc tam jucunda sequuntur,
Si quis amans metuensq; Dei mandata facessit
Iusta Dei, nec se vetitis malus implicat ausis.
Ergo te sanctâ præsens Deus arce Sionis
Desuper adspectet foveatq;, ut lumina vitæ
Dum cernis, cernas vir felix lumina vitæ,
Vt numeres natos natorum è stirpe nepotes,
Almaq; percipias divinæ commoda pacis.
Sic modulata genu flecte, ac vale dicito mensis
Omnibus, & sponsi jam desere læta penates,
Vt repetas nostros, & nuntia grata reportes.
Hæc est namq; mei mandati summa, nec ultrà,
Quod peragas, jubeo: tantum hæc non ægra capessas.
Ergo age carpe viã, commissum & perfice munus,
Nec te oculus malus, aut hôc pejor lingua moretur:
Quid curas, si te vitiato lumine Momus

Obliquè aſpiciat, ſi de te multa ſuſurret?
Hic vel, ſi potis eſt, ipſam divellat ab aſtris
Aſtræam, veſtemq; Deæ conſcindat & ora.
Sit tua vox ſuperis accepta, nec improba doctis,
Illud erit noſtri decus haud triviale laboris.

AD DEVM OPTIMVM MAXIMVM PRO NOVIS MARITIS ODE

HENRICI MOLLERI H. F.

MVndi ô tergeminum decus
Qui certum inſtabilis poli
Motum, qui ſtabilis ſoli
Dirigis fluitantem.

Qui cœli, ætheris, æquoris,
Terræ & conditor infimæ
Hæc fatalibus invicèm
Legibus ſociaſti.

Binæ conveniunt ſuis
Luſtris unanimes feræ,
Binas conſtruere alites
Nidum cernimus unum.

Alis

Altis dulcia vitium
Nubunt germina populis,
Pinguis viti olea insita
duplâ fruge laborat.
Arridet Cunilæ Thymus,
Chara est Mentha Sisymbrio,
Tymbra ardet Saturèiam,
Teucrioq́, Chamædryn.
Ergo quando homines duos
Vinclis plusquàm adamantinis
Vincis à thalami jugo,
Latâ hoc fronte levato:
Mansueti benè turtures
Cassos lite dies agunt,
Cornici sine lurido
Felle hoc vivitur avum.
Tale æterne poli, soli
Rector, conjugium novis
Tam motus animi pares
Elargire maritis.
Nec quam complacitum est eis
Affudisse prioribus
Annis, crescere desinat
Largo copia cornu.
Sic & crescere liberis
Dulcem non renues thorum,
Queis sint cura, labor, quies,
Virtus Relligioq́.

AD

Sponsum Elegia

EBERHARDI MOLLERI H. F.

SI possem artifici vivas exponere formas
Pigmento, aut ceras condere imaginibus.
Aere gravi humanos si possem ducere vultus,
Aut calo facies scalpere marmoreas:
Materies opera tu esses Eberharde futurus,
Te color exprimeret, cera, metalla, lapis.
Patronum simul atq; meum pro patre videret
Gambrivium totum, totaq; Cimmeria.
Egregium studium nostrum, & propensa voluntas,
Sic ardent cunctis grata tibi esse modis.
Sed simplex, & adhuc annis puerilibus ætas
Mollior, his ausis me negat esse parem.
Quin igitur sileo? meq; in meliora reservo
Tempora, queis vires vita Deusq; dabunt?
Nè facerem: Sed enim quî talia festa silere,
Percipere aut tacitus gaudia tanta queam?
Nunc totâ passim lætatur in urbe juventus,
Visaq; Tvvestrengi sacra thorumq; canit.

Nunc

Nunc patulis campis paßim & viridantibus agris
Tvveſtrengum reſonant Alſtria & Alſtriades.
Albis & ipſe pater canum caput extulit undis,
Viſurus gentis feſta inopina ſuæ.
Quid ni læter ego? cui tute à patre ſecundus,
Maxima ſpes Muſis præſidiumq; meis.
Tu mihi, cùm primùm cæleſti fonte lavarer,
Iußiſti infanti nomen habere tuum.
Tu porrò vetus & patri benè fidus amicus,
Me virtute tuâ, me tuo amore foves.
Hinc meritò laudum canerem monumenta tuarum,
Vatibus & cunctis niterer eſſe prior.
Sed tu cui tanti puerili ætate labores,
Cui tanti exhauſti ſunt juveni atq; viro:
Dum mentem Aoniæ ſtudio excoluére Camœnæ,
Dum pectus ſapiens irrigat alma Themis:
Dum vel Leucoreâ Muſas ſectaris in umbrâ,
Docta vigil luſtrans per monumenta virûm:
Vel ſævûm furias Gallorum expertus abibas
In loca, quæ Veneti magnavè Roma tenent:
Tu noſti quàm non pueris ſua munera Phœbus
Donet, quanti & ſit Fama laboris opus.
Ergo tibi ſat erit velle oſtendiſſe placere,
Fata ſecuturo tempore poſſe dabunt.
Quod queo nunc, votis te proſequor, omniaq; opto
Fauſta tuo cedant tempora conjugio.

Gaudia

Gaudia tot veniant, viridis quot gramina campus,
Tmolus habet vites, dulcis Hymettus apes.
Quot gruibus Strymon, nivëis liquida Alstria cygnis,
Piscibus in tumidis Albis abundat aquis.
Sicq; velit clarum tibi longa in secula magnus
Stemmate felici nomen abire Deus

CHOREA MVSARVM IN hisce nuptiis.

ARa Iovis medio posita est libramine mundi,
Limpida quam cunctis circuit unda locis:
Hanc (senis ut Samiiq; Ascraaq; carmina tradunt,)
Ambit fatali turba novena choro:
Concelebrans sine fine Iovem: Dux atq; magistra
Calliope miros temperat arte modos.
Proxima, quæ nomen cœli de nomine gestat,
Haut scio quot manibus vibret utriq; faces.
Tertia cum quinto veniens Polyhymnia passu
Velleris, in terris undiq; vellit oves.
Terpsichore inde sequens, spacium, vix saltibus istis
Ter septem atq; uno dissita, calcat idem.
Hinc Clio, & propiore Erato illi tramite juncta,
Per medii gaudent terga salire bovis.

Melpo-

Melpomenen bini fratres comitantur, & agri
Dicuntur beſſem jam peragraſſe ſui.
Euterpe Octipedis pulſat pede lumina, fulva
Conſtringit nares alba Thalia fera.
Hæc tibi quid fati portendat SPONSE chorea
Id bene Muſa tibi PASCHASIANA canit.

FINIS.





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0391
DFG

ſponſione. Quare oportet ſ na-
tura inter ſe diverſas, verbis ctas.
Cicero: proprijs & ſuis arg mo-
nitionibus tractanda quæq;

Quid Petitio P

Petitio principij, ἡ ξ cum
idem ad ſui ipſius probati , aut
cum incertum per id, quod n eſt,
confirmatur, *ut:*

Si divinatio eſt, Dij ſunt. natio.
Ergo, *Etiam Dij ſunt.* Cicero

Et:

Ariſtoteles dicit mundum
Ergo, *mundus eſt æternus*

Et:

In purgatorio remittuntu
Ergo, *Sacrificandum eſt*

Quid Ignoratio

Ignoratio Elenchi, ἔγχε
ἄγνοιαν, captatio non anim iquid
deeſt argumento, quo m con-
vincat, Ad hunc titulum es ca-
ptiones aliæ, maximè ea iores
commodè referri non poſ præ-
cipuæ ſpecies numerantu men-
tiens, ἀσύϛατον, quaſi non nulli
vocant inſolubile, & ἀντί m.

Da

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951197/phys_0393
DFG